EX LIBRIS

D. BASILII ARCHIEPISCOPI CÆSAREÆ in Cappadocia,

CONCIONES DE VITA & Moribus XXIIII.

Simeonis magistri ac logothetæ industria selectæ.

LATINÆ FACTÆ SIMONE A *Maillé Archiepisc. Turon. auctore.*

Ad illustriß. Principem, reuerendiß. que Cardinalem Lotharingium.

PARISIIS, M. D. LVIII.

Apud Guil. Morelium in Græcis typographum Regium.

PRIVILEGIO REGIS AD *quinquennium.*

PAR priuilege du Roy il est defendu à tous imprimeurs & libraires quels qu'ils soyent en ce Royaulme, de n'imprimer, ne faire imprimer aucuns des liures qui auroyẽt premieremẽt esté imprimez & mis en lumiere par Guillaume Morel imprimeur & libraire dudict seigneur es lettres Grecques: ou par luy notablement corrigez & emendez, en quelque langue que ce soit: ne si ailleurs estoyent imprimez, iceulx vendre ne distribuer, de cinq ans prochainement suyuants apres ladicte impreßiõ premiere, ou de deux ans apres l'impreßion desdicts liures corrigez, sur peine de confiscation desdicts liures & d'amende arbitraire, comme apert par les lettres de ce, donnez à sainct Germain en Laye, l'vnziesme iour de Iuillet mil cinq cens cinquante cinq, signées par le Roy, Clause. & sellées du grand seel dudict seigneur, verifiées & publiées par le preuost de Paris ou son lieutenant, le vingtneufiesme de Iuillet oudict an.

ILLVSTRISS. PRINCIPI REVERENDISS. *que Cardinali Lotharingio, S. à Maillé Archiepisc. Turonens.* S. P. D.

ILLA profectò mihi videtur in instituēda vitæ ratione, summa esse cautio & securitas ijs qui ecclesiarum munijs præfecti sunt, illustriss. Princeps reuerēdiss. que Cardinalis, si eas horas quas à perfungēdo sui officij munere vacuas habēt, aut in euoluēdis sacrarū literarū libris cōsumant, aut in meditandis ijs rebus trāsigant, quæ sui exercitatione à nascentibus ex ocio vitijs auocare cōsueuerunt. Quod cùm diligenter perpēderem, atque triennio ferè post tuū illum ex Ita-

lia reditum, cui me è tuis vnum interesse voluit singularis tua humanitas, domum me recepissem, tum vt grauissimũ Episcopatus munus expeditior obirem, tum etiã vt orbi patris cæde nepotis rebus consulerem, atque intermissa diu ob iteratã eò profectionẽ, studia repeterẽ, venit è bibliotheca Regia forte in manus, ex omnibus scriptis, quorũ magna pars hodie non extat, Cęsareæ Archiepiscopi Basilij illius Magni liber, qui ἠθικοὶ λόγοι inscribitur, à Simone quodam logotheta congestus ac cõsarcinatus. Quem ego cũ perlegissem, mihíque ob sententiarum, similitudinum, rerũ denique paradoxarum varietatem admodũ placuisset, cœpi his horis, quas magis serijs occupationibus suffurari

poteram, illum Latinum facere, & quoad licuit de Græco ad verbum exprimere: non eo ſanè conſilio, vt quæ exaraſſem, typis cudenda mandarem, meæ mihi ſatis imperitiæ conſcius: ſed vt marceſcentē nimia deſuetudine ſcribendi vim hac exercitatione renouarē. At verò poſteaquā mihi totus ille conuerſus eſt, cogitaui, ſi in publicum ederetur, non inutilem fore ijs qui Gręcè neſcirent, tum quòd locorum propè communium ſpeciem referat: tum vel maximè, quòd de ijs ſolū rebus tractet, quæ ad rectè inſtituēdos hominum mores apprimè ſunt neceſſariæ. Qua equidem adducto cogitatione, eius promulgandi cupido mihi facilè inceſsiſſet, niſi iuſtus reſtitiſſet pudor: ille inquam pudor,

meæ imbecillitatis testis & arbiter. Quem tandem omnē grauissimæ tuæ auctoritatis, tuíque fauoris spe præsidióque fretus, expuli atq; absterſi, librúmque illū Archiepiscopi Basilij penu exprōptum, Simonis magistri ac logothetæ opera cō cinnatum & congestum, Simonis etiā tui Turonen. Archiepiscopi lucubrationibus Latinè loquentē, sub tui nominis vmbra in publicū exire volui. Quem quidē tueri, spectabilē facere, tutúmque ab omni calumnia prȩstare, quoniam sua minimè potest dignitas, illum clarissimi tui nominis splēdor, si faueris, illustrabit. illíq; ab inuidorum morsibus te propugnatore tuto, nihil erit non maximè peruium. Prosequere igitur illustriss. Princeps reueren-

diſs.que Cardinalis, τὸ μὲν ζήτημα τῇ εἰθισμένῃ σου πρὸς ἐμὲ εὐμενείᾳ καὶ σπου-δῇ, vt ẽt qui pluribus iam olim nominibus tibi valde ſum obnoxius, hoc prçcipuè ſingulari beneficio in poſterum deuinciar. Quòd ſi ſumma illa tua auctoritas atque amplitudo præſtare dignabitur, Deum Opt. Max. perpetuis votis obteſtabor, vt ſuæ te ecclesiæ, Henricíque imperij adminiſtrationi diutiſsimè ſeruet incolumẽ. E Vernotio tuo. III. Calend. Maias.

CONCIONVM DE VITA ET MOribus ex D. Basilij lib. collectarum argumenta.

CONCIONES VIGINTIQVATVOR DE VITA ET *moribus, ex omnibus libris* D.Basilij Archiepi*scopi* Cæsareæ *in* Cappadocia, Simeonis *magistri ac logothetæ industria selectæ*, Latinæque *factæ* Simone à Maillé Archiepiscopo Turon. *auctore.*

DE VIRTVTE ET VITIO, *Concio I.*

Ex Asceticis. *Matt 18.*

DOMINVS *noster Iesus Christus Apostolis suis, Euntes, ait, Docete omnes gentes, non, his quidem obseruatis, alia omittere, sed seruare omnia quæcunque præcepi vobis, id est, ne minimum quidem eorum præterire quæ vobis præscripta sunt. Nam nisi essent omnia nobis ad salutem propositam necessaria, profecto neque relicta fuissent in scriptis omnia præcepta, neque vt obseruarentur omnia, cautum fuisset.*

At vero si nos nobis forte vel vnum obseruasse

persuaserimus, (nequaquam enim nos obseruasse dixerim, cum inter se ita cohæreant omnia, si rectum rationis scopum spectemus, vt vno soluto cætera etiã solui sit necesse) non ob multa prætermissa iram dei vindicem, sed ob vnum recte factum scilicet gloriam & præmium expectamus: immemores, quòd is apud quem deposita sint decem talenta, licet accuratam cæterorum omnium rationem reddiderit, tamen retento vno, vel duobus, non vir bonus pro liberata in maiori parte fide, sed iniustus & auarus ex paucorum defraudatione coarguitur. Sed quid dico defraudatione? cum is cuius administrationi vel vnum etiam talentum commissum est, si simplex illud & integrum persoluerit, eo tamen nomine condemnetur, quòd sine vllo fœnore reddiderit: atque is qui decennio toto, patri ex officio fuerit obsequentissimus, postea verò in eum manus semel intulerit, non pius & beneficus habeatur, sed insimuletur parricidij & conuincatur.

Matt.25.

Ex conc. cõtra Ebriosos.

Itaque quisquis in recta viuendi via fecerit aliquos progressus, deinde reuocato cursu eò se conuerterit quò vetus primùm ferebat consuetudo, non solum is anteactorum mercede priuatur, sed grauius subit iudicium, quia cum veritatis dei partem aliquam gustasset, & cognitionis diuini mysterij particeps esset factus, omnia prodidit, breui fluxáque voluptate delinitus.

Roma.1.

Ex conc. de nõ ad hær. reb. huius vi.

Oportet igitur nos, si propositum huic vitæ stadium tutò volumus decurrere, & offerre Christo

animum cum corpore, nullis turpitudinis vulneribus saucium & labefactatum ac victoribus debitas referre coronas, vigilanteis semper circumuoluere mentis oculos, atque omnia suspecta habere, quæcunque nobis aliqua voluptate blandiuntur: neque mentem rei cuiquam infixā tenere, ne si ampla quidem vis auri vltro in manus cupientium
" *ventura videretur.* Diuitiæ *enim, ait, si affluant, no* Psalm. 61.
" *lite cor apponere: neque etiam si terra sponte produ*
" *cat alimentum, & superba proferat ædificia.* No- Philipp 3.
" *stra enim conuersatio in cœlis est, vnde etiam salua-*
" *torem expectamus* Christum. Nec *si proponantur nobis choreæ, comessationes, ebrietates, & multiplici sono musicorum instrumentorum obrutæ mē-*
" *sæ.* Vanitas *enim, ait, vanitatum & omnia vani-* Ecclesi. 1.
" *tas.* Neque *si egregiæ formæ corpora, in quibus per-*
" *uersi animi inhabitent, offerantur.* Conspectū *enim*
" *mulieris vt serpentis fuge, inquit sapiens.* Neque *si dominia & imperia, & stipantia satellitum vel adulatorum agmina.* Neque *si regale solium subiugatis ciuitatibus & populis in inuitam seruitutem*
" *redactis superbum & splendidum.* Omnis *enim ca-* Esa. 40.
" *ro fœnum; & omnis gloria hominis vt flos fœni.*
" Desiccatum *est fœnum, flos quoq; decidit.* Nam *sub his omnibus voluptatis speciem præ se ferentibus, communis omnium nostrūm aduersarius delitescit, obseruans ecquando visorum specie deliniti, rectà deflectamus via, & in eius insidias declinemus.* Atque *vehementer pertimescendum est, ne dum ad*

ea incauti adcurrimus, nullam, dum eorum delectatione perfruimur, nobis inde perniciem arbitrati, occultum primo gustu atque his implicatum diaboli hamum deuoremus, quo deinde tum volentes tum nolentes his adligemur, ad mortem horrendam latronis domicilium ab ipsis voluptatibus pertrahamur imprudentes.

Virtutes enim, quando diligenti studio naturæ cōiunguntur, veluti in nostram transeunt possessionem: neque nos hîc in summa miseria desertos patiuntur, nisi has magna vi, atque vitiorũ introductione à nobis vltro depellamus. Atque illuc nobis properantibus quodãmodo præcurrũt, quíque ipsis præditi sunt, hos angelis cõiungunt, perpetuóque lucent in conditoris nostri oculis. Diuitiæ verò, potentatus, splẽdor, deliciæ, atque omnis huiuscemodi turba, quæ indies magis ac magis augetur nostra dementia, neque ingredientem quenquam in hanc vitam, neque hanc deserentem comitata est vnquam: vt de omni homine vetus illud iusti dictum cõstanter ac verè asseri poßit, Iob 1. » *Nudus egressus sum ex vtero matris meæ, & nudus reuertar.*

Vtrum igitur tibi vtilius fuerit momentaneã vitam malle, ídque propterea mortem comparare æternam, quàm in excolenda virtute labores & ærumnas perpeti, atque his vitam tibi conciliare perpetuam? Vt enim corporis cuiusque pondera certis trutinæ momentis probamus, sic res ad vitam necessarias, quæ sub delectum cadunt, libero animi diiudi-

camus arbitrio, quod & iugum scriptura nominauit, quia in vtranque partem pari momento impelli possit.

Verbi gratia, Fornicatio & temperantia apud te iudicio contendunt: sublimis autem in te præsidet mens cui iudicādi partes sunt commissæ: atque hinc fornicationi patrocinatur voluptas, illinc verò dei timor temperantiæ adstat & suffragatur: si igitur peccatum damnaueris, ac pro temperantia sententiam tuleris, rectum ea de re feceris iudicium: sin verò in voluptatem propensior, pro peccato pronunciaueris, iniquam tuleris sententiam, imprecationi » eius factus obnoxius qui ait, Væ vobis qui dicitis » quod est amarum, dulce: & quod dulce, amarū: qui » dicitis lumen, tenebras: & tenebras, lumen. Ex com. in princi piū Prouerb. *Esaiæ 5.*

Cum igitur omnis virtus suo vitio cōparata diiudicetur, tum demum declarato quàm sincere & recte apud te de rebus sentias: ac veluti primas apud te partes teneat dei mandatum: exere tuum in vitia odium, vt qui scelera auerseris, virtutes verò summo in honore habeas. Nam si omnibus in rebus gerendis, apud te vincāt quæ sunt meliora, beatus eris in die illa cum iudicabit dominus occulta homi » num, secundum euangelium nostrum: & cogitatio- » nibus inter se accusantibus, aut etiam defendentibus, causa non cades, quòd in rerum vanarum partes inclinaueris: sed iustitiæ illustraberis coronis, quibus toto vitæ tuæ æuo virtutem coronasti. *Rom. 2.*

Quemadmodum enim sagittarius recta ad sco-

pum sagittam dirigit, neque altius, neque demißius aut hac aut illa parte inclinata manu ab eo aberrat: sic iudex tota mētis acie ad id quod iustum est, debet contendere, nullius personam respiciens. nam in iudicando personam agnoscere non est æquum, neque quicquam precibus condonans & precario faciens: sed rectam miniméque distortā sententiam ferens. Duobus autē apud ipsum de iure disceptantibus, tum qui vim intulit, tum qui passus est, sic litem inter ipsos componat, vt vtrunque ad æqualitatem reducat, tantū certe potētiori detrahens quantum læsum esse viribus inferiorem deprehenderit.

Ex c.quæ vtil.ex pr. libr. capi posſit. Cætera enim quæ ab hominibus poßidentur, non magis possessorum sunt, quàm quorumlibet, vt quæ non secus atque in talorū ludo huc atque illuc trāsferantur. Sola verò in rebus omnibus virtus firma stabilísque possessio est, tum viuenti, tum etiam mortuo non defutura. Vnde opinor Solonem impulsum esse diuitibus id vt diceret,

" Virtutem non pro diuitijs dabimus
" Nos vobis, siquidem illa æternum permanet æuum:
" Hic modo, nunc alius seruat auarus opes.

Quapropter vobis, ô viri, summa virtutis habenda est cura, quæ simul cū naufrago enatat, nudúmque in cōtinentem proiectum, honoratiorem ijs qui felices & beati habebantur, demonstrat.

Ex com. in Esaiā. Sícque est vitæ instituenda ratio, vt quæ antecesserunt, sequētibus meliora non sint: neque dicamus præsentibus priora tempora præualere. Etenim si

qui consequuntur dies, deteriores fuerint anteactis, nobis obijcietur frustra nos virtutem coluisse, cùm sequentium annorum negligentia bona nobis perierint. Quemadmodum enim qui in virtute progreditur, ad ea quæ sunt ante se nititur & contendit: sic retrorsum qui peccat, regreditur. Quod autẽ maius est improbitatis argumẽtum, quàm ipsius bonitatis derelictio? Improbitas quoque summa est, si bonum & mansuetum exagitaueris. id enim in improbitate est extremum vt sibiipsi etiam dissentiat.

Solet enim malum, non solùm bono, sed sibimetipsi aduersari. Ex Antirrheticis.

Quemadmodum igitur accedẽte lumine tenebræ fatiscunt, superatúrque morbus sanitatis aduentu, atque ad virtutem progressus à paruis initijs ad maiora sumit incrementum: sic vitij scelerúmque contagio, ab infimis primũ ad nefanda & immedicabilia serpit. Ex cõ. in Esaiam.

Porrò initium viæ ad virtutem est vitiorũ auersatio. Declina enim, inquit, à malo & fac bonum. Nam si statim obtulerint se tibi ea quæ perfectiora sunt, in his aggrediendis forsitan te negligentem miniméque strenuum gesseris: nunc verò facilioribus te assuefacit, vt in his quæ sunt magis ardua, in posterum audeas. Vt enim in scala primus gradus est digreßio à terra: sic in viuendi ratione secundum deum, principium est progressus, vitiorũ depulsio. Ex cõ. in 1. Psalm. Psalm. 36.

Quandiu igitur paruulus & imprudens vnusquisque nostrûm, ad id quod adest iucundum, ani-

mum adiũgit, nullam futurorum curam habet: vbi autem perfectis in se & ad summum perductus notionibus in virum euasit, sibi videre videtur bifidã veluti viam, ad virtutem & vitium: ac sæpius ad vtranque mentis oculos conuertens, inter se diiudicat, quæ vtrique insunt. Et peccatorum quidem vita, omnes ostendit mundi huius voluptates: iustorũ verò, solam subindicat futuri beatitudinem. Atque etiam salutis via, quanto meliora pollicetur quæ futura sunt, tanto asperiores exhibet res præsentes: voluptarium verò & intemperans vitæ genus nõ expectatam, sed iam præsentem qua fruaris, voluptatem, proponit. Beatus igitur ille qui non voluptatis inescatus illecebris, diuertit in interitum: & dum è duabus alteram viam eligit, nõ ingreditur in eam quæ ducit ad peiora.

Ex com. in Esaiã. *Beatus ille qui spe omni à rebus huius seculi deposita, eam in deo solo reponit. nam vt maledictus ille est qui in homine, sic benedictus qui in deo spem omnem collocat. Non enim spes in deum alternas vices admittit, neque solet eis plenã adferre opem qui modò diuitijs, modò hominũ gloriæ, modò huius mundi potentiæ confisi, aliquãdo eum vt spem sibi proponunt: sed vere in eius auxilio conquiescendũ est.*

Ex com. in I. Psalmum. *Cæterùm homines rerum imperiti, atque huiusce mundi desiderio capti, boni ipsius naturam ignorãtes, sæpenumero in bonis numerãt quæ nihili facienda sunt, diuitias, bonam valetudinem, vitæ splendorem, quorum nullum suapte natura bonum est: nõ*

solùm eo quòd facile in contrarium volvatur, sed quia neque eos qui possident bonos valeat efficere.

Qui igitur inter viuos agit, nondum beatus iudicandus est, propter euentus incertitudinem: qui verò quæ sui erant muneris executus est, atque inculpato & irreprehensibili fine diem clausit extremum, proculdubio iam beatus dici potest. Et qui bona fecerint, meritam ipso facto gratiam colligunt. Qui autem vitium fugiunt, non si semel atque iterum id deuitarint, ea de causa laudem mereri possint, sed si potuerint tentationis impetum perpetuo sustinere atque retundere.

Cum igitur sit valde consentaneum, optimũ vitæ genus vnumquemque sibi deligere atque sperare, qualecunque illud sit, fieri tandē consuetudine suauius, ad ea quæ sunt optima nobis est enitendum. Turpe est enim elapsa quæ sese offert occasione, hãc posthac aliquando reuocare præteritam, cum vanum erit ea in re laborare. Ex c. quæ vtil. ex pr. libr. capi possit.

Fieri siquidem minime potest, vt diuinæ gratiæ capaces efficiamur, nisi depositis prius & profligatis his affectibus vitiosis, qui animos nostros iam antea occuparunt. Vidi ego medicos non prius dantes salutaria medicamenta, quàm vomitionibus euacuassent morbi materiam effectricē, quam quidem è mala victus ratione sibi intemperantes collegerãt. Quinetiam & vasculum humore quodam graueolenti prius imbutum, nisi apprime lautum fuerit, haudquaquam excipiet vnguēti liquorem. Ex com. in lxj. Psalm.

Oportet igitur quæ prius inerant effundere, vt capi poßint quæ ingeruntur.

Omnibus nempe adest spiritus sanctus, sed in eos quidem quibus repurgata est istiusmodi affectibus mens, vi sua peculiari agit: in eos vero qui cõspurcatum habent vitiorum maculis atque cœno animum, non item.

Ex Asceticis. *Fieri enim non potest vt mens varijs curis distracta, perfecte id exequatur ad quod contendit: quemadmodum testificatus est dominus dicens,* Nemo

Mat.6. „ *mo potest duobus dominis seruire. & rursum,* Non *potestis deo seruire & mammonæ.*

Neq; enim obseruatione & debita erga deũ pietate, atque amore in proximum, per nos vnquã satisfactum erit, si modo his, modo istis cogitationibus aberrantes distrahamur. Nec *absolutam alicuius vel artis, vel disciplinæ cognitionem assequetur is, qui interdum huic, interdum illi dabit operam.* Sed *ne vel vnam quidem tenere poterit perfecte, qui quæ ad finem pertinent ignorarit.*

Oportet enim consentientes nostris consilijs esse actiones nostras: præsertim cum nullum eorum quæ ratione nituntur per ea quæ minime conueniunt, bene geratur: quandoquidem neque faber ærarius operibus figlinis euadit sua in arte peritus: neque athletarum coronæ studio bene canendi tibia comparantur: sed suum quisque finis laborem desiderat.

Veluti & pietatis euangelio Christi *congruentis meditatio, quæ nos deo commendatos reddat, depel*

lendis huius mundi solicitudinibus, explodendísq; curarum huc atque illuc agitantium turbis, absoluitur ac perficitur. Itaque huius vitæ affectuum liber is sit oportet qui vere dei vestigijs vult inhærere. Quod aliter ne præstiterit quidem, nisi ab inueterata sceleratorum morum consuetudine se prorsus abdicauerit, eorúmque penitus obliuione perfundatur.

Adeò vt nisi & à corporis illa consanguinitate, vitæque communicatione de industria exulemus, tanquam iam in alium mundum migrationem animo meditãtes, fieri non poßit vt dei gratiam quam nobis proponimus, assequamur.

Is igitur qui in dignitatem angelicam transcriptus est, si humanis se affectibus inquinauerit, pantheræ pelli persimilis est, cuius neque albi omnino, neque prorsus nigri villi, sed colorum varietate distincti, neque inter albos, nec rursus inter nigros annumerantur. Ex cõ. in Esaiam.

Itaque quemadmodum pictores, cum imaginem ex imaginẽ pingunt, exemplar identidem respectantes, lineamenta eius transferre conãtur magno studio ad suum opificium: ita qui sese meditatur omnibus virtutũ numeris absolutum reddere, veluti simulachra quædam spirantia & efficacia, sanctorum vitas respiciat oportet, probáque illorum opera, sua imitando facere. Ex Epistolis.

Etenim si bos adiutor nobis ad agriculturam traditus, bubulci vocem sentit, atque eum agnoscit Ex cõ. in Esaiam.

qui pabulum adferre consueuit: asinus vero spontaneo fertur impetu ad solitum diuersorij locum: tantúmq; in brutis efficax est consuetudo, ad agnitionem illius qui sui curam gerit: quanta vis amoris in deum ab ea quæ rationis compos est, natura, requiretur ac exigetur?

Ex cõ in xi. Psalm. *Neque enim vnica virtutis actio probum quẽpiam effecerit, sed toto vitæ æuo virtutis actiones prorogare est necesse.*

Et quemadmodum qui in balnea ingrediuntur, omnibus denudantur vestimentis: sic & oportet eos qui purum religionis cultum suscipiunt, omnibus huius vitæ negocijs nudatos, totos se viuendi secundum philosophiam rationi dedere.

Ex cõ. in Esaiam. Matt. 10 » *Estote enim, ait, prudentes sicut serpentes, qui cum opus fuerit vernationem exuere, per angustã rimam corpúsque strictim coercẽtem repentes, prudenter exuunt senectutem. Quod & idem nos imi-*
Matt. 7 » *tari ipsa suadet scriptura, per angustam & arctam*
» *viam ingredientes, veterem hominem exuere, in-*
» *duere verò nouum: ita vt & nostra, vt aquilæ, re-*
» *nouetur iuuentus.*

Illucescente siquidẽ lumine, tenebræ fatiscunt: sanitas etiã si redit, morbi sedantur molestiæ: veritate deniq; demonstrata, mendacij natura redarguitur.

Ex Epistolis. *Sed hominum plerique nubibus sunt persimiles, modò in hanc, modò in illam partem pro ventorum mutatione raptus ac depulsis. Et quibus quidem prona est ad mutationem mens, his nihil mirũ*

si incertum est maléque constitutum vitæ genus: quibus autem firma & sui semper similis atq; eadem est sententia, consentaneum est vt hi non alienam ab instituto vitam degant.

Quamplurimi verò malas etiam actiones commendantes, dicacem interpretantur vrbanum: maledicum verò, disertum: acerbum & iracundum, seuerum & animosum nominant: parcum & ab omni vitæ communitate alienum, vt frugi hominẽ suæque familiæ sedulum administratorem laudant: prodigum & decoctorem, vt liberalem: scortatorẽ & petulãtem, vt suis bonis fruẽtem ac indulgẽtem: &, vt rem omnem paucis perstringam, nullum est vitium quod specioso virtutis subiectæ nomine non Ex com. in lxi. Psalm.

„ *celent atque prætexant.* Ore quidem bene dicunt, Psal. 61.

„ *vt* Dauid *ait, corde verò execrantur & maledicunt. Atque dum honestis sibi vocabulis blandiuntur & applaudunt, omnes diras omnémq; suis capitibus detestationem accersunt, æternis se supplicijs ob ea quæ vitiose comprobant, deuouentes.*

Vt igitur non est iudicis æqui, duobus de iniuriâ contendentibus, vtrunque æqualibus pœnis damnare, imo necesse est auctorem mali grauiores luere pœnas, vt ea animaduersione melior euadat, cæterósque suo exemplo reddat continentiores: sic qui boni prætextu malum facit, duplici multa dignus est: tum quia quod non bonum est, agit: tum quia ad scelus perpetrandum, bono, vt ita dicam, socio abutitur. Ex cõ. in locum 1l lũ, Quisquis occi d. Cain.

Cæterùm prauorum colloquiorum cõsuetudo, ad res eiusdem generis via quædam est. Quapropter animus omni studio præmuniendus est, ne verborũ lenocinio è deterioribus nonnulla, imprudentes, vt qui ex melle venena hauriunt, admittamus. Ex conc. quæ vtil. ex profa. libr capi posit.

Nam qui ab aliis traditam philosophiã, non verbis tenus, aut decretorum scientia, sed grauitate morum, vitæque continentia vsurpat,

" *Hic solus sapit, ast errant alij velut vmbræ.*

Quandoquidem splendidè & magnificè palam laudare virtutem, de eáque longos protrahere sermones, priuatim verò quod iucundum & suaue est, temperantiæ anteponere, auaritiam maiori habere in precio quàm id quod iustum est, id libens compárauerim scenicis illis fabularum actoribus, qui vt reges sæpenumero & magnates prodeunt, cùm neque reges neque magnates, ac ne liberi quidem forte prorsus existant. Ad hæc, musicus facile non tulerit discordem sibi lyram esse, neque chori præcentor non nisi chorum bene concinentem: nostrûm autem vnusquisque sibi ipse dissidebit, atque consentientem sermonibus vitam minimè præstabit?

Neque enim equum celerem facit patrus ad cursum dexteritas: neque canis laudatur, quòd è velocissimis sit oriundus: sed quemadmodum cæterorum animalium virtutem in singulis contemplamur, sic etiam viri propria est laus atque commẽdatio, quæ bene præclaréque factorum commemoratione comprobatur. Ex c. de s. martyr. Mamãte.

Ex Hexa hemero. *Virtutis exercitatio preciosa quidē poßidenti res est, iucūdißimum autem occurrentibus spectaculū.*

Ex Epistolis. *Qui enim virtutem amplexātur, astris sunt persimiles nocte intempesta alijs atq; alijs partibus cæli micantibus, quorum gratus est admodum splendor, gratius verò inopinatum eius rei miraculum. Tales videlicet & hi, pauci omnino atque numeratu faciles, in hac austera & tetrica vitæ cōditione, veluti per obscuram & illunem noctem pellucētes, qui præterquam quòd virtutis commendatione sunt accepti, raritate etiam sui desiderium quamplurimis relinquunt.*

Ex c. de s. Mamāte. *Turpe autem est alieno mundo eum ornari, qui sua satis virtute resplendet.*

Ex Hexa hemero. *Itaque ne mihi dicas auctorem mali esse deum. id enim impium est, cùm nullum cōtrariorum à contrarijs ducat originē. neque enim vita generat mortem, neque tenebræ lumini sunt initium, neque item morbus sanitatis est opifex: sed in affectionum mutationibus è contrarijs ad contraria fit transitus. In ortu verò rerū non ex contrarijs, sed ex eiusdem generis rebus vnumquodque eorum quod fit, existit.*

Vitium igitur res non est quæ viuat & animata sit, sed affectio in animo, quæ virtuti aduersetur, quòd à bono recedat, segnibus & inertibus innata.

Ne igitur extrinsecus vitium obrepere putes, neque ducem ad malum naturam quandam opineris, sed suæ ipsius improbitatis auctorē se quisq; agnoscat. Neque etenim à legibus tātus sceleratis impenderet

deret timor, si nos etiam inuiti in mala prolaberemur: neque ita essent inexorabiles iudicũ animaduersiones, quibus pro meritis rei plectuntur.

Nam *si bonorum initia vel malorum operum, à potestate nostra nõ ducerentur, sed à naturæ cuiusdam necessitate, superuacanei quidem legumlatores essent, quæ agenda & quæ fugienda nobis sunt, definientes: superuacanei quoque & iudices, virtutem commendantes, atque in vitia animaduertentes.* Non *enim furis esset peccatum, nõ homicidæ, cui neque etiam volenti liberum erat manum continere, propter ineuitabilem ad eas actiones vrgentẽ necessitatem.* Vanissimi *verò prorsus hi qui artes excolerent: agricolæ autem feliciter cederet, neque solo semina ingerenti, neque falcem acuenti.* Ditaretur *mercator volens nolẽs, fato illi diuitias accumulante.* Denique Christianis *quæ spes sunt maximæ, nobis euanescerent, non habita in precio iustitia, atque nõ damnata improbitate; quia hominum nihil arbitrio gereretur.* Vbi *enim necessitas & natura obtinet, nullus hîc locus dignitati relinquitur, quæ pars est in recte iudicando præcipua.*

Etenim *de ficubus aiunt, agricolas nonnullos agrestes domesticis serendo adiungere, nonnullos caprificus de fertilibus & mansuetis suspensis imbecillitatem sanare, effluentem iam & decidentem fructũ caprificatione cohibentes.* Cuius *verò rei te commonefacit naturæ id genus ænigmatis?* Nempe; *sæpenumero nobis etiam ab alienis à fide vires & ro-*

bur quoddam esse mutuandum, quo bonorum operum specimen edamus.

Nam si quempiam videris Ethnicorum more viuentem, aut peruersa hæresi quadam ab ecclesia diuisum, temperantis vitæ, studiosǽque morum disciplinæ, tu enixius maiorique studio quàm antea ad virtutem contende, vt proximus efficiaris frugiferæ illi ficui ex agrestium præsentia atque vicinitate vim maiorem sibi colligenti, ac defluuium fructuum retinenti, atque eosdē accuratius enutrienti.

Nonnulla verò vitia plantis à natura indita, nouimus agricolarum studio sanata esse: cuius rei exemplo nobis sunt acida mala punica, amygdalǽque paulo amariores, quæ trūco ad radicem perforato, si è tæda cuneum pinguem in medullæ intimū transfixum exceperint, in vsus commoditatem mutant prioris succi incommoditatem.

Nemo igitur qui sceleratam vitam sectatus sit, spem abijciat. nam si potest agricola plantarū affectiones mutare, quanto magis animus noster virtutis studio, omnis generis poterit infirmitatibus esse superior? In Christo Iesu domino nostro, cui gloria & potestas nunc, & semper, & in secula seculorum. Amen.

DE DOCTRINA ET ADMONITIONE.

Concio II.

SI EX tot tantísque admonitionibus, quibus cùm superiori tempore adhortari vos non destitimus, tum deinceps per totum septuagesimæ ieiunium nocte diéque testificari vobis gratiæ dei euangelium nõ cessauimus, nulla vobis obuenit vtilitas: qua tandem expectatione apud vos hodierno die sermonem habebimus? Quandoquidem & agricola primus sibi seminibus minimè germinantibus & exorientibus, secundam eodem in solo grauatim ægréque sementem facit. Ex conc. cõtra Ebriosos.

Itaq; siluissem, mihi credite, nisi Hieremiæ reformidassem exemplum: qui cùm ad populum contumacem & incredulum verba facere recusasset, passus est ea quæ ipse narrauit, excitatum nempe sibi esse ignem in visceribus exæstuantem, ac se defecisse prorsus, neque ferre potuisse. Hier. 20.

Cùm enim natura hæc sit orationis virtus, vt neq; obscuritate velet quæ significanda sunt, neque redundans & vana sit, res ipsas inani verborum circuitione temere attingens: Ex conc. in eũ locum, Attende tibi ipse.

Non decorum est, vna eadémque oratione de multis simul differere, ne forte orationis immẽsitate in- Ex cõ. in Ioã. euã.

utilia euadant quæ magno studio & labore congesta sunt. Mens etenim per vires apprehendendi omnia simul impotēs, perinde atque stomachus afficitur, qui propter nimiam satietatē, quæ ingesta sunt concoquere minime potest.

Ex cōm. in j. Psal. *Vi siquidē inducta disciplina, fere fit vt non permaneat. Quæ verò cum delectatione & lenitate irrepit, firmius quodammodo animis nostris insidet.*

Quapropter & carminum concinna suauitas doctrinæ præceptis admisceri consueuit: vt suaui quodam auditionis lepore illecti, manantem è sermonibus vtilitatem quasi nesciētes suscipiamus: idque prudentum medicorum exemplo, qui cum cibos fastidientibus austeriora porrigunt pharmaca, melle sæpenumero calicem circumlinunt.

Ideóque harmonica illa Psalmorum carmina, nobis adinuēta sunt, vt qui ætate pueri, aut omnino moribus iuuenes sunt, cum canere solum sibiipsis videantur, re vera tamen eorum ipsorum animi instituantur.

Ex cō de s. marty. Iulitta, ac de gratiarū act. *Nam & equorum domitores, feroces equulos nō statim frænis angunt ac durius coërcent atq; exagitant: decollare enim & sessores excutere hac ratione docerent: sed cedentes primùm, atque ad eorum impetum sese accōmodantes, vbi vident eis sua agitatione violentiáque consumptos animos, tum blandè accipientes domitos faciliores ad parendum sua arte efficiunt.*

Ex c. quæ vtil. ex pr. libr. *Qui ergo ex rebus singulis studiosè vtilitatē col-*

ligunt, hi non secus atque magni fluuij multas è mul tis accessiones excipere solent. nam paruum paruo adiicere, non magis rei nummariæ amplificandæ, quàm scientiæ cuilibet, vt cumulus augeatur, apte quadrare censendum est.

Quod enim labore partum est, magna cum delectatione accipitur, & accuratius custoditur: quorum verò prompta facilísq; est adeptio, eorum vilis contemptáque possessio esse solet.

Quemadmodum igitur summus ille noster opifex, non quia nobis ad viuendum adiumenta inuideret, omnia vt nobiscum perinde ac cum beluis vnà nascerentur non concessit: sed rerum necessariarum indigentiam ingenij & industriæ nostræ exercitationem struxit atque machinatus est: sic & dedita opera in scripturis sacris obscuritatem reliquit, vt nostræ menti & intelligentiæ vim eius ad perquirendum excitans, prodesset. Primùm quidē, vt occupata his à peioribus abstraheretur: deinde, quia quæ labore quæsita sunt, habentur chariora: & quæ longiori tempore cōparantur, diutius permanent: quorum vero facilis est possessio, his frui magno studio non affectamus. Rerum etenim vulgarium contemptibilis est præsentia, nulláque eas dum possidemus custodia dignamur. Ex cóm. in Esaiá.

Turpe autem est cibos qui nocent, expellere: disciplinarum verò, quæ quidem animum nostrum enutriunt, nullam habere rationem, sed torrentis in morem obuia quæque corripientis, vnà ferri. Ex conc. quæ vtil. ex prof. libr. capi possit.

Vt enim mellis natura non ita potest inexpertis demonstrari ratione, ac ipso gustus sensu: sic neque diuini sermonis suauitas, efficacibus tradi praeceptis potest, nisi perquisitis accurate veritatis decretis, domini nostri bonitatem experiētia nostra compertam habere valeamus.

Ex Asceticis. Nam cum benignus & misericors deus ac seruator noster Iesus Christus dicat, „ Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam „ vos, non absque periculo fuerit, si expellantur ij qui nostro ministerio ad dominum accedunt, eiúsque suaue iugum subire in votis habent.

Mat. 11.

Consentaneum verò est, anteactam eorum qui accedunt vitam perspicere, & quibus iam aliquid bene gestum est, solidioris in eos doctrinae semina iacere: eos autem qui à peruersa viuendi via ad sinceram & dei cognitione dignam vitam properāt, diiudicare oportet, quibus sint moribus praediti, ne instabiles & in iudicando inconstātes existant. Suspecta enim horum esse debet ad mutationem facilitas, qui praeterquam quòd sibi ipsis nihil omnino prosunt, alijs etiā maximo sunt nocumēto.

Quandoquidem verò nihil est quod studio diligentiáque non conficiatur, deíq; timor quaeuis animorum vitia facile superet, non sane de his statim desperandum est: sed in conuenientes eos exercitationes adducere est necesse, temporis diuturnitate, durísq; certaminibus de eorum iudicio periculum facientes: vt si quid apud eos firmi deprehenderi-

mus, tuto ipsos admittamus: sin aliter, nondum admissos, nullo dum eos experimur fratribus illato damno, ablegemus.

Ei autem qui ab illustri conspicuóque vitæ genere, Domini nostri exemplo, ad humile abiectúmque sese transfert, præscribenda sunt quædam ex his quæ exteri pro opprobrio habent, atque obseruandum, an cum omni alacritate operarium ea in re inuerecundum deo seipsum exhibeat.

Quotquot autem sub iugo constituti serui, ad fratrum cœtus profugiunt, suæ salutis admoniti, sunt ad heros amandandi, beati Pauli imitatione, qui regenerato per euangelium Onesimo, hunc ad Philemonem remisit, illi quidem persuadens, iugũ seruitutis ad domini voluntatem conformatum, regno cælesti dignum eum efficere: hunc verò adhortans, non solum erga eum minarum impetus remittere, sed etiam cum eo mitius atque humanius se gerere. *ad Philemon. 1.*

Quòd si improbus herus iniqua quædam legíque contraria imperet, & ad violanda mandata dei veri heri, domini nostri Iesu Christi, seruum vi adigat, obnixe contendere oportet, ne per seruum illum aduersa dei voluntati facientem, eius nomen blasphemetur.

Atque ita demum certaminis exitus prosper erit, si aut seruus ille ad ea percipienda & perferenda disciplinæ præcepta, quibus imbuitur, cõponatur, vt malit obedire deo quàm homini: aut qui illum apud se accipient, inductas sibiipsis eius nomine

tentationes æquo animo ſuſtineant.

Connubio verò mancipatos ad huiuſcemodi vitæ genus accedentes diiudicare oportet, an vtriuſq; cõſenſu id agant, ex apoſtoli præcepto: deinde multis teſtibus adhibitis accedentem excipere. Quod ſi alter diſſentiat & repugnet, minus de ſua erga deũ obſeruantia pietatéque ſolicitus, in memoriam re-
1 Cor. 7 *uocet apoſtoli dictũ. In pace vero vocauit nos deus.*

Eum igitur qui relictis ſuis dominum ſequi inſtituit, non oportet rerum ſuarum curam abijcere, ſed omnia exacte congerentem, vt domino in poſterum conſecrata, adhibita omni cautione adminiſtrare aut per ſeipſum, ſi id poßit & norit: aut per homines multa probatione ſelectos, quíque aliquando fidem fecerint ſe fideliter prudentérq; id poſſe exequi: atque animaduertere, non eſſe à periculo alienum ea vel familiaribus relinquere, vel cuius è populo adminiſtranda committere.

Si enim is cui credita eſt rerum fiſci adminiſtratio, crimine non vacat, etiam ſi ex eis quæ iam partæ ſunt, nihil interuerterit, & ad ſeſe tranſtulerit: negligentia verò quadam prodiderit eas quas acquirere erat facile, quale tandem iudicium ſubiturum exiſtimabimus eum, qui in adminiſtrandis rebus deo iam dicatis, mollem ſe, oſcitabũdum, miniméque ſtrenuum preſtiterit?

Eſt verò ſeceſſus à mũdo, non extra mundum eſſe corpore, ſed à conſenſu conſuetudinéq; corporis animum abrumpere: non ciuem eſſe, non domum poſ-

ſidere, non familiam, nihil proprium habere, non ſodalitatis officia, non amicitias colere, prædia nulla, nullas facultates habere, negocijs vacare: iuris gentium contractus, humanáſque diſciplinas non noſſe: ita ſe comparare, cor vt aptum ſit & animus admittere diſciplinarũ diuinis monumentis informatam. Eſt autem huiuſcemodi cordis comparatio, cùm hæ doctrinæ dediſcuntur, quæ praua conſuetudine in ipſo ſedem occupauerunt.

Atque in primis quidem magno ſtudio id comparandum habet vir dei amans, ſcite vt ſermocinari poßit, vt nec contentioſius percunctetur, nec ambitioſius reſpondeat: vt differenti nõ obloquatur, cum quid vtilè dixerit: nec interfari atque interpellare geſtiat, abſurda oſtentatione faſtúmque præ ſe ferente: vt modum teneat, & ſermocinandi, & auſcultandi. Neque vero ad diſcendum verecundum eſſe oportet, nec ad docendum malignum. Quod ab alio ipſe didicerit, nequaquam celet, vt improbæ mulieres aſſolent, quæ ex alijs quæſitos liberos, viris ſuis tollendos ſupponunt: ſed auctorem ſcientiæ grata commemoratione profiteatur.

Vocis porro ſonus moderatus præferendus eſt, vt neque exilitate fallat aures, neque inflata contentione aſper grauíſque ſit. Vbi prius apud ſe expenderit quid dicendum ſit, tum demum in concionem prodeat. In congreßibus ſit facilis, in colloquijs ſuauis, non ſcurrili dicacitate voluptatem captet, ſed placida & amica cohortatione beneuolẽtiam ſibi

conciliet. Denique nusquam acerbitatem præ se ferat, etiam si obiurgatione opus sit. Nam si primum se humiliter demiserit, sic facile medelæ is egeno fuerit acceptus.

Plerunque verò conducibilis nobis erit ea increpandi ratio quam propheta secutus est, qui peccati

2 Reg. 12 reo Dauid non à semetipso impegit damnationis modum, sed accersita persona vtens, iudicem illum ipsum in suo ipsius crimine æstimando constituit, adeo præiudicio in sese facto, nihil ille deinde habuit quod succenseret increpāti. Riuulus siquidem aquæ proprium fontem indicat: sermonis verò natura proferentem ipsum animum exprimit.

Atque vt in medicorum præscriptis, quādo quid scite & ex arte fit, eius tum vtilitas perspicitur, cū experientia confirmatum est: sic & in spiritalibus admonitionibus, vbi euentu comprobata fuerint præcepta, tū quicquid in eis erat boni, & ad emendationem vitæ conducens, & ad externorum perfectionem, manifeste elucet.

Ex conc. de mart. Iulitta. Qui enim iacentem erigit, altior prorsus esse debet illo qui lapsus est: qui autem pariter lapsus est, ipse etiam alio erigente indiget.

Ex conc. de Iracūdia. Qui verò cæcos doctores sui duces fecēre, iucundissimo se luminis fructu priuauerunt.

Ex Asceticis. Duriter enim & iracunde fratrem arguere qui peccauit, nō est illū à peccato liberare, sed improbitate seipsum implicare. Nā leniter & māsuetè oportet erudire eos qui à nobis dissentiunt, nec ob quæ

etiam ipſimet aliquando fuimus alijs deſpectui, ob ea his eſſe acerbiores. In quibus autẽ alium deſpectũ viderimus, noſtram in eum qui peccarit lõganimitatem ac patientiam oſtendere: imò etiã & ob malũ dolore affici. Sic enim fiet, vt nemo ſuſpicari poſſit, nos plus æquo noſtri amãtes eſſe, neque eum qui peccarit odio proſequi, ſed à peccato nos prorſus abhorrere. Illud enim per ſeipſum cogitare atque factis præſtare, Chriſti fratrũmque amantis animi eſt encomium.

Omni igitur arte ſtudióq; tentandũ eſt, vt ægroto medeamur, dandáque opera vt luxatum eius, vt ita dixerim, membrum in ſuum locum reponatur. Quòd ſi qualicunque vitio pertinacius adhæſerit, eum vt extraneum atque alienum dimittamus. Scri-
» ptum eſt enim, Omnis plantatio quam non planta- *Matt. 15*
» uerit pater meus cæleſtis, eradicabitur.

Si enim ab inueterata conſuetudine auelli nõ poſſint, malíntque corporis voluptatibus ſeruire quàm domino: & euangelicam vitam minimè amplectantur, nulla nobis cum illis ſit conſuetudo & familiaritas. Nobis enim, ſi in populum incredulum & con-
» tradicentem inciderimus, id datur conſilium, Tuam *1. Timot. 5*
» ipſius animam ſerua, & alienis peccatis ne commu-
» nicaueris. Quòd ſi quiſpiam bono animo non venit ad pſallẽdum, neque in eo apparet idem affectus &
» alacritas ac eius qui dicit, Quàm dulcia faucibus *Pſal. 118.*
» meis eloquia tua ſuper mel ori meo: neque ſegnitiem ſummum ducit eſſe damnum, aut emẽdetur, aut eij-

1 Cor. 5 " *ciatur, ne modicum fermentum totam massam cor-*
Galat 5. " *rumpat.*

Ex Epistolis. *Quos enim publicæ animaduersiones non refrænant, neque precum interdictio ducit ad pœnitentiam, legibus à domino latis coërcendi sunt.* Scriptũ

Mat. 18 " *est enim, Si frater tuus peccauerit, corripe eum inter*
" *te & ipsum. quòd si te non audierit, adhibe tecum*
" *& alium. sin ne sic quidem, dic ecclesiæ. Si autẽ eccle*
" *siam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publi-*
" *canus.*

Ambobus igitur his idem accidit, semel delatus est, coram vno atque altero redargutus est, postremum coram ecclesia: vbi ergo ipsi contestati fuerimus, neque vllum admonitioni nostræ locum reliquerit, in posterum ecclesia pulsus censebitur. Itaque *denuncietur toti ciuitati arcendum eum à communi vitæ societate & consortio, vt dum illi nobiscũ nulla est conuersatio, sit prorsus diabolo in prædam & escam.*

Vt enim pueruli disciplinarum negligentes, post inflicta illis à doctoribus verbera, attentiores effecti præcepta amplectuntur, quémque sermonem ne audiebant quidem, antequam vapularent, eundem ipsi accepto è flagris dolore, iam inde apertis auribus, & auditu percipiunt, ac memoriæ mãdant: sic & his accidit qui dei doctrinam perfunctorie negligentérque audiunt, eiúsque mãdata pro nihilo ducunt, postquã ipsi à deo castigatione affecti fuerint, tum vix tandem dei præcepta centies illis repetita,

*centiésque ab eis neglecta, quasi primùm ad eorum
» aures peruenirent, suscipiuntur, vt ille ait, Discipli-
» na domini aperit mihi aures.*

Vt autem qui mente laborant, sedato animo curandi sunt: sic vicissim ægros, quos sanandos suscepimus, obiurgationes nō pro inimicitijs habere, neque tyrannidem existimare decet, quam in ipsorum anima seruanda, beneuolentia moti, adhibemus diligentiam. Turpe est enim valetudinarios adeo se medicis committere, vt si dissecant, si vrunt, si acerbioribus medicamentis discruciant, de se tamē benemeritos existimare: nos vero erga animarum nostrarum medicos, quando laborioso cultu nostræ saluti consulunt, non ita esse affectos. Ex Asceticis.

*Quando igitur formidabile iudiciū manet eum qui cum præsit, eos qui peccant non redarguit, licet ei communis demandata sit cura, adeo vt de vnoquoque rationem sit redditurus: ille sibi velim persuadeat, si in peccatum prolabatur vnus ex fratribus, quem prius dei iustitiam non docuerit, aut lapsus permanserit non doctus emendationis ratio-
» nem, quòd sanguis eius è manibus ipsius require- Genes. 9
» tur, sicut scriptum est. Et maxime si non imprudens quidem prætermiserit quidpiam eorum quæ deo sunt accepta: sed obsequio quodam vniuscuiusque vitijs facilem se præbens assensorem, disciplinæ publicæ seueritatem corruperit.*

Quemadmodum autem qui præest, dux viæ in omnibus esse debet toti fratrum cœtui: sic rursum

cæteris toto studio contendendum est, si in suspicionẽ ille alicuius peccati inciderit, commonefacere præfectum per eos qui & ætate & prudentia antecellunt. Si enim quidpiam fuerit in eo emendatione dignum, & fratrem iuuimus, & nosmetipsos quoq; per illum, qui est nostræ vitæ veluti regula, quiq; sua probitate nostram peruersitatem arguere debet, ad rectam viam reducimus. Si qui verò frustra tumultuarint, falsa quadam rerum quæ venerunt in suspicionem persuasione inducti, iniquum de ipso iudicium exuunt.

Ex Epistolis

Non enim ignoratis, quòd qui præsunt, publice omnibus propositi, vt in mari prominentes scopuli, ipsi quidem feruorem atq; impetum contrariorum excipiunt fluctuum, qui circa illos fracti quæ à tergo sunt non alluunt.

Ex conc. quæ vtil. ex prof. libr. capi posit.

Ego certe quæ vobis nunc per me dicta sunt, quæ quidem optima esse iudico, ea vobis dum viuam, consulere non desinam.

Ex Epist.

Et si enim me impedit corporis huius imbecillitas, quæ quanta in me sit, vobis omnibus satis est cognitum, iam ab ineunte ætate ad hanc vsque senectutem mecum aucta, erudiénsque me secundum iustum iudicium omnia in sapientia administrantis dei: tamen quandiu nobis dabitur respirandi facultas, debemus nihil eorum prætermittere, quæ ad bonorum institutionem conferre viderimus.

Ex conc. quæ vtil. ex profa libr. capi posit.

Vos verò ne videamini similes esse è tribus infirmitatibus illi quæ est insanabilis, neque ostendatis

animi ægritudinem similem esse eorum morbo qui infirma corporũ valetudine sunt præditi. alij enim leuiter ægrotãtes, ad medicos ipsi accedunt: alij verò grauioribus infirmitatibus detẽti, qui ipsis medeantur accersunt. Qui autem in deploratũ prorsus furorem inciderũt, hi ne accedentes quidẽ admittunt. In quæ vitia cauete ne nunc incidatis, fugientes eos qui recte sentiunt & sapiunt: sed erudimini atque initiamini timore Domini *dei nostri, vt futurorum bonorum participes esse poßitis, in* Christo Iesu *domino nostro, cui gloria & potestas cum æterno eius patre, & sanctißimo viuificantéque spiritu, nunc, & semper, & in secula seculorum. Amen.*

DE CHARITATE IN DEVM *& proximum,* Conc. III.

QVI *ab huiusce vitæ curis discedere volunt, suum ipsorum pectus omni custodia munire debẽt, nequando cogitationẽ de deo abijciant, aut mirabilium eius memoriam vanis imaginationibus conspurcent: sed perpetua sinceráque recordatione insculptam nostris animis sanctam de deo notitiam, velut indelebile sigillum, circunferant.* Ita *enim in nobis adau-* Ex Asceticis.

getur nostra erga deum pietas, quæ nos ad exequen da dei mandata excitat quibus etiam illa rursum ad perseuerantiam stabilitatémque conseruatur.

Qui verò summo imitandi Christi desiderio tenetur, non potest amplius se ad huius vitæ quidpiã conuertere, non ad colendas parentum vel familiarium amicitias, quando domini præceptis obesse

Luc. 14 » *videbuntur. Tum enim locum habet & illud, Si*
» *quis venit ad me, & non odit patrem suum, & ma*
» *trem, &c. Quemadmodum & sancti discipuli domini ostenderunt nobis, Iacobus & Ioannes, relinquentes patrem suum Zebedæum, ipsúmque nauigiolum, quod erat illis vnicum vitæ subsidium. Matthæus verò relicto telonio dominũ secutus, non solum lucra quæ redimendis vectigalibus faciebat; deseruit: sed etiam pericula aspernatus est, quæ sibi suísque à magistratu imminebant ob desertum publicanorum munus, rationibus non plane cõfectis.*

Galat 6 » *Paulo autem totus etiam mundus crucifixus fuit;*
» *atque ipse mundo.*

Ex conc. de s.mar. Barlaam. *Cum enim religionis studium animũ præoccupauerit, omnis illi hostium species ridicula: vt etiam si in eum omnes quo ab ea re quam amat auocẽt, iaculentur, delectent potius quam lædant.*

Ex Ascetícis. *Si enim propter beneuolentiam & amorem quò de nobis benemeritos prosequimur, etiam natura duce vltro nullum laborem recusamus, vt mutuam gratiam referamus, qua tandem ratione munera dei pro dignitate metiemur, satísque æstimabimus?*

Quæ

Quæ quidem tot ſunt multitudine, vt numerari nõ poßint, tanta verò magnitudine, taliáque, vt vel eorum minimum efficiat nos omnis gratiæ debitores ei cui acceptum ferimus. Ille autem vſqueadeo bonus eſt, vt neque mutuum repoſcat, abunde ſibi ſatisfactum exiſtimans, ſolum pro his quæ dedit, ſi adametur.

Quorum omnium cum mihi venit in mentem, vt ingenuè quod ſentiam eloquar, totus horreo atque obſtupeſco, nequando animi negligentia, vel in rebus vanis occupatione, à dei amore lapſus, Chriſto ſim dedecori & opprobrio. Noſtram enim inſipientiam & contemptum diabolus domino contumelioſe obijciet, noſtráque gloriabitur incredulitate: qui cum neque nos crearit, neque pro nobis mortuus fuerit, nihilominustamẽ habuerit nos ſui imitatores in inobedientia atque in mandatorum dei cõtemptu. Illud ſane probrum in dominum ita impactum, grauius mihi gehennæ cruciatibus videtur, inimico Chriſti materiam nos ſuggeßiſſe gloriandi, atque occaſionem præbuiſſe in eum ſeſe erigendi qui pro nobis mortuus eſt & reſurrexit.

Oportet etenim nos, quàm maxime poterimus, deum amare, quinetiam & proximum, atque inimicos, vt ſimus perfecti, imitantes bonitatem patris qui in cælis eſt, ſolem ſuum ſuper malos & bonos oriri facientis. Alijs enim in rebus vim amoris perperam conſumere non conceditur. Ex com. in Eſaiã. *Matth. 5.*

Etenim ſi amoris & charitatis præſtãtia ſolo no- Ex Epiſtolis.

C

mine definiatur, ridiculum est, hoc vel illo selectis, eos solos charitate complecti, alios verò innumeros ab eius boni cõmunicatione excludere: sin ea quæ cum improbis concordia est, sub charitatis specie hostiliter eos qui admittunt vexat & affligit, diligenter videndum est, quibuscum nos consuetudinem ineamus.

Ioan. 15. *Si enim dilectus dei filius odio habetur, quid mi-*
Matt. 10. *rum si nos hominibus odiosi sumus, in quibus profecto odium exuperat?*

Cæterùm neque ædificium consistere ablatis colligationibus potest, neque ecclesia adaugeri, nisi pacis amorísque vinculo fuerit colligata. Etenim nihil est naturæ nostræ adeo proprium, vt mutuo inter nos communicare, mutuóque indigere, atque eiusdem generis homines adamare. Plus enim vniuscuiusque fratrum auxilio nobis est opus, quàm alteri manuum, alterius.

Quando autem ad hæc ipsa nostra membra animum aduerti, perspexíque singula ad suas actiones non sibi satis esse, qua ratione meipsum mihi sufficere existimabo ad huius vitæ negocia? Neque enim tuto gradietur pes, nisi altero secũ suffulciente: neque sanè perspicuéque videbit oculus, nisi alterum habuerit socium, obiectísque sibi pariter intentum: acutior est etiã auditus, qui ambobus auriũ meatibus vocem excipit: atque fortior firmiórque est digitorum cõmunicatione, apprehensio: & vt paucis perstringam, nihil eorum video quæ vel à natu-

ra, vel nostro delectu bene geruntur, sine vnanimi eiusdem generis rerum conspiratione concordiáque absolutũ: cum etiã ipsa precatio concinentibus vel consentientibus alijs destituta, sit imbecillior multo, seipsáque ignauior.

Admoneat te mutuus vespertilionum amor, qui contextim inter se cohærent: neque quod est separatum ac singulare, præstantius esse existima eo quod societatem cum vnitate admittit. Ex Hexahemero.

Nihil enim alios ab alijs separat nisi vltro secessionem ipsi quæramus. Vnus noster dominus, vna fides, spes eadem. Siue enim caput vosipsos esse existimaueritis, nõ potest caput pedibus dicere, operã vestra non indigeo. Siue etiam in alium ordinẽ vosipsos coegeritis, nõ potestis cæteris in eodẽ corpore partibus constitutis id dicere, Vobis opus nõ habemus. Malac. 2. Ephes. 4. 1. Cor. 12.

Manus enim mutua opera indigent, & pedes mutuo se fulciunt: atque oculi ex intentionis consensu, rem sibi propositam clare perspiciunt. Ne verò illa in vobis insit cogitatio: Nos plurimis quibus alij laborant vitijs, sumus liberi. quæ tandem nobis ex eorum consuetudine & familiaritate vtilitas? Nam Dominus noster insulas à continenti ipso mari separauit, insulares verò continentis habitatoribus amicitiæ vinculo copulauit.

Atq; ea in re maxime amicus ab assentatore differt, quòd hic ad voluptatem colloquatur, ille autẽ etiam à verbis tristitiam inferentibus quandoque non abstineat.

Ex Hexahemero. Nostíne quid proximo facere debeas? quod tibi ab alio fieri non recusas. Scire desideras quídnam sit malum? quod ab alio perpeti tibi esset molestum.

Ex Epistolis. Ioan. 13. Ego enim cum acceperim à domino, In hoc cognoscẽt omnes quòd mei discipuli estis, si diligatis inuicem: quódque cum absoluturus esset suam in corpore administrationem, discedens suam illis pacem dono reliquit, dicens, Pacem relinquo vobis, pacẽ meã do vobis: Ioan. 14. non possum dicere me sine mutua charitate, & absque vnanimi cum omnibus, quoad per me fieri potest, concordia, dignum qui vocer seruus Iesu Christi.

Ex Asceticis. Sic igitur consentaneum est communem atque æqualem omnibus inter se esse charitatem, vt est homini erga singula sui corporis membra, cui toti sanitatem hac ratione optat æqualem, quia membri cuiusque dolor æqualem corpori molestiam adfert.

Qui enim in concilio vnum plus cæteris diligit, seipsum imperfectæ charitatis insimulat. Explodẽda est igitur à concilio indecens contentio diuisáq; animi affectio. Pugnam enim inimicitiæ sequũtur: diuisas amicitias & sodalítia suspiciones, inuidiáque. Vbique enim non seruata æqualitas principiũ & fundamentum inuidiæ odiorúmque est, his qui se contemptos existimant.

Quemadmodum igitur deus optimus omnes ex æquo sui luminis participes facit, solem suum faciens oriri super iustos & iniustos: Matth. 5. sic & imitatores dei, suæ charitatis radios promiscue æqualitérq;

in omnes diffundant ac dißipent. Vbi enim deficit
" charitas, ibi plane succedit odium. Si verò, vt ait I Ioan. 4.
" Ioannes, deus est charitas, necesse est prorsus diabo-
" lum esse odium.

Quemadmodũ igitur qui charitatem habet, deũ I. Ioan. 3.
poßidet: sic qui odium, in seipso diabolum alit. Propterea congruum est, charitatem quidem æqualem & similem omnibus erga omnes esse, honorem vero vnicuique pro dignitate deferre.

Et vt in nobis ipsis vniuscuiusq; ægrotantiũ mem I. Cor. 12.
brorũ dolor æqualiter totũ corpus afficit: sunt tamẽ nihilominus alia alijs honoratiora mẽbra: nõ enim eadem nobis est de pedis digito cura, etiam si eius dolor æqualiter nos pungat: sic compatientem affectum diligendíque promptitudinem æqualem erga omnes qui in fratrum cœtu degunt, vnumquemque habere est necesse: honorem verò his qui magis prosunt, maiorem haberi est consentaneum.

Nam in his qui spiritali animorum coniunctione inter se sunt copulati, neque corporis illa consanguinitas charitati quidpiã addiderit. neq; si quis secundũ carnẽ frater alicuius fuerit, aut filius, aut filia, eum qui genere est proximus, consanguinitatis nomine plus quã cæteros maiori amore prosequetur.

Qui enim aliter facit, dum naturã ducẽ sequitur, seipsum accusat, quòd ab ea nondũ sit prorsus separatus, quódque adhuc corpus in eo imperandi partes obtinet. Deo autem nostro sit gloria in secula seculorum. Amen.

DE ELEEMOSYNA, Concio IIII.

Ex conc. in eũ locum, Destruã horrea mea.

SI admiraris ô homo diuitias, propter eum honorem quem largiuntur, considera quanto ad gloriam plus cõfert, innumerorum filiorum pater appellari, quàm infinitos nummos in loculis reclusos habere. Diuitias enim hîc etiam inuitus relinques: honorificum autem è bonis operibus nomen, ad Dominum reportabis, quando circunfusa ante communem iudicem multitudo, educatorem, benefactorẽ, cæteráque omnia humanitatis nomina vocibus personabit.

Ex conc. ad Diuites.

Etenim in mercatu nemo ægrè fert præsentia si profundat, vt alia quibus indiget sibi acquirat: sed quanto viliori precio preciosiores res comparauerit, eo magis gaudet, vtpote re splendido cum lucro permutata. Te verò angit molestéq; habet, si aurum & argẽtum possessionésque, hoc est lapides & puluerem, dederis, vt beatam vitam tibi inde compares? Quid verò diuitijs tibi opus est? preciosa veste indues teipsum? An nõ duorum cubitorum tunicula tibi sufficiet? Vnius autem vestis integumentum, omnem indumentorũ vsum implebit. Sed ad liberaliora alimẽta fortasse abuteris pecunijs? Vnus panis explendo ventri abundè satis est. Quid igitur

(marginal: „ „ 1. Tim. 6.)

tristaris, vt facta rei alicuius iactura? Gloriæne causa, quæ diuitias comitatur? Sed si humi eam non requisieris, inuenies verã & splendidam adducentem te ad regnum cælorum.

Sparsæ enim & distributæ diuitiæ eo quo dominus præcepit modo, perpetuo permanere solent. Asseruatæ autem ferè fit, vt alienentur: si custodieris, non habebis: si diuiseris, non amittes. Dispersit, dedit pauperibus, iustitia eius manet in seculum. Psalm. 3. & 2. Corinth. 9.

Oportet itaque eos qui sapienter secum reputãt, existimare diuitiarum vsum in administratione esse positum, non in fruendo: hisque depositus gaudere, vt alieno soluti atque expediti: neque iniquo animo ferre, vt rebus proprijs priuati.

Quid igitur tristis es? quid mœrore animum conficis? cum audis, Vende omnia quæ habes, & da pauperibus? Si enim in futurum te sequerentur, neque etiam tanto studio amplectenda essent, bonorũ quæ illic sunt splendore obscurata. Si vero ea hîc manere necesse est, quid non his venditis lucrum quod ex eis fieri potest, non reportamus? Matt. 19.

Qui enim suis rebus male vtitur, miserabilis est: vt qui gladio ad hostiũ vltionem sumpto, eum in se conuertit spontéque seipsum confodit. Qui vero bene & conuenienter rationi rem suam dispensat, atque ea quæ deus largitus est, administrat, non vt solus his fruatur, recondit: is sane dignus est qui & laudetur & colatur, propter morum tum humanitatem, tum liberalitatem. Ex cõ. de Inuidia.

Ex conc. habita in fame & siccitate.

Videte qualiter nostrorum peccatorum multitudo, peculiaris cuiusque naturæ pulchritudinem immutauit, & temporum formas extraneis temperamentis inuertit. Omnia enim fere cõditionis suæ limites transeuntia, maléq; in nostram perniciem conspirantia, homines de vitæ commodis deturbant, mortémque accelerant.

Quæ igitur est perturbationis confusionísq; causa? nimirum quia cum acceperimus, alijs non largimur. Beneficentiam laudamus, eáque egentes defraudamus. Serui libertate donamur, conseruorum autem non miserescimus. Esurientes cibo reficimur, atq; inopem despectum præterimus. Diuitem suppeditatorem promúmque habentes, parci ac restricti sumus. Fœcundæ nobis sunt oues, & plures ouibus nudi. Horrea repositorum multitudine gemunt, inanem & angustia rerum gementem non miseramur.

Pauper es? Atqui alium habes prorsus pauperiorem. Tibi ad decem dies est cibarium, illi ad vnum. quod tibi superest, vt vir bonus, indigenti asserua. Ne pigreris dare è modico quod tibi adest. Ne tuum commodum communi dispendio præferas.

Et si vel ad vnum etiam panem alimentorum supellex redacta fuerit, pro foribus autem tuis sit qui petat, profer è cella promptuaria quem habes vnicum, eóque manibus accepto, atque in cælum sublato, hac oratione miserabili simul & grata vtere: Vnicus panis superest, quem vides, domine, præsens

etiam periculum adest: sed ego tua mandata mihi-ipsi præfero, atque ex modico quod mihi in alimentum restat, esurienti fratri bono animo largior. Da & tu domine seruo tuo periclitanti.

Satis superque noui tuam summam bonitatem, tuæ confido potentiæ. non in longum tempus auxilium tuum differs, sed munera tua cum tibi visum fuerit, dispergis. Quod cum ita dixeris & feceris, quem tu indigens das panem, is vice sementis erit quæ fructum tibi reddet cum multiplici fœnore.

Te verò ais proximum tuũ diligere vt teipsum: dictum autem à domino, te non seruati sinceri amoris manifestè reum facit. Si enim vnicuique tantum tribuisti, quantum & tibi, vnde tantus diuitiarũ cumulus tibi relinquitur? Qui enim proximũ suum vt seipsum diligit, nihil plus proximo possidet. Quia autem plus possedisti, eo nomine teipsum conuicisti, plus in singulari tuarum rerum vsu habuisse delectationis, quàm in multorum consolatione & subsidio. Quanto enim diuitijs abundantior es, tanto charitate pauperior. Ex conc. ad Diuites.

Nam si proximũ tuum dilexisses, longe ante de pecuniarum tuarum alienatione & in pauperes erogatione cogitasses. Nunc verò tibi tenacius, quàm tua membra adhærent, téque perinde earum excruciat separatio, ac letalis membrorum mutilatio.

Si enim nudum induisti, si esurienti panem tuum fregisti, si fores tuæ omni peregrino apertæ sunt, si orphanorum patrem te præbuisti, si impotenti &

inualido omni condoluisti, quænam te molestia possint afficere pecuniæ, quas iam antea pauperibus
Ex conc. in locũ, Destruã horrea mea. *erogandas distribuendásq; statuisti? O quantas oportebat te benefactori habere gratias, atque hilarem esse, magnificéq; gestire, quia videlicet ad aliorum fores importunus nõ sedes, sed tuas obsidẽt alij.*

Participes effice cibariorum tuorũ fratres tuos: quod cras putrescet, hodie indigenti præbe. Grauissimum sane auaritiæ genus est, neque eorũ quæ corruptioni propinqua sunt, in pauperes esse liberalẽ. Si qui indutum denudat, grassator & latro appellabitur: qui nudum non induit, cum id poßit, ést ne alia dignus appellatione? Esurientis est panis ille quem tu apud te detines: nudi, vestis illa quam in cella tibi seruas: discalceati, calceus qui domi tuæ putredine corrumpitur: egeni, argentum quod humi defossum habes. Itaque tot iniuria afficis, quot tuis rebus dum licet non iuuas.

Quomodo tibi sub conspectum adducam inopis afflictati dolores, vt cognoscas à quãtis singultibus & suspirijs tibi ipsi thesaurizas? O quanti faciendũ
Mat. 25. *" tibi videbitur in die iudicij dictum illud, Venite be" nedicti patris mei, poßidete præparatum vobis re" gnum. Quanto verò horrore, quãto sudore, quibus " tenebris suffunderis, audiens damnationem, Disce-*
Excõ. in 32. Pse *" dite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus " est diabolo & angelis eius?*

Neque enim deo grata est incõsulta & temeraria
Ecclesi. 3. *misericordia. Neque item iudicium sine misericor-*

dia. præ iudicio nanque diligit misericordiam, & præeunte misericordia ad iudicium properat. Hæc verò inter se cōnexa sunt, misericordia & iudiciū, vt neque illa, si sola sit, mollitiem & ignauiam: neque id, si vnicum, desperationem pariat.

Ex conc. ad Diuites.

Si non occidisti, non mœchatus es, non furatus es, nō tulisti falsūm in quempiam testimonium, frustra in his omnibus laboras, nisi quod reliquum est, adijcias, quo solo tibi in regnum dei patet aditus.

Et si medicus quidem polliceretur se tua membra mutila & decurtata, vel à natura, vel ab infirmitate restituturum, hæc audiens animum non despon deres: quando verò summus ille nostrarum animarum medicus, vult te virtutibus maximè opportunis vacuum & mutilum, perfectū reddere per eleemosynam, gratiam hanc nō amplecteris, imò luges, animúmque tristi mœrore conficis: & quæcunq; in tuā vtilitatē præelaborata sunt, tibi reddis inutilia.

Ex Hexahemero.

Prouer. 6.

Nunquam ne tibi consules? Nō in hoc seculo perpetuam futuri quietem tibi adstrues ac præparabis? formicæ exemplo quæ æstate totius hyemis cōmeatum sibi caute reponit ac recondit: neque quia nondum adsunt hyemis incommoda, ignauiter tempus transmittit, sed iugi atque alacri studio operi inuigilat, donec sufficientem in sua horrea commeatum congesserit: neque id quidem segniter facit, sed prudenti quodam consilio alimentum sibi quod diutissime duret coaceruat. Dissecat enim suus denticulatis forcipibus seminum meditullium, ne si rursus in fru

ges exeant, ad se alendum inutiles efficiuntur: quæ etiam in auras profert, quando ea madefactum sentit. Neque quouis tempore illa promit, sed quando constantem aëris serenitatem præsenserit. Neq; vnquam addubitaueris nubibus imbrem delapsurũ, quandiu formicarum frumenta in apricum prolata perspexeris.

Ex conc. in locũ, Destruã horrea mea.

Imitare terram ô homo, fructum fer vt illa, ne videaris re inanimata deterior. Illa siquidem suos fructus non sibi, sed in tuum vsum ad maturitatem perducit. Tu verò quemcumque beneficentiæ fructum protuleris, tibi hunc congregas: quandoquidẽ benefactorum gratia in auctores suos reuertitur ac redundat. Esurientem pauisti: tuum sane fit quod dedisti, magno cum fœnore ad te reuersurum: Vt enim frumẽtum in terram cadens, ei qui seminat in lucrum cedit: sic panis esurienti distributus, multiplicem postea vtilitatem reddit.

Ex conc. habita Lacizis.

Si foribus tuis adstat quispiam rei alicuius indigentia leuari efflagitans, ne iniquo & dispari vultu intuearis neque dixeris, Hic amicus, hic consanguineus, hic de me benemeritus: ille extraneus, alienigena, incognitus. nam si hunc illi inique antepo-nas, misericordiam non consequeris. Natura vna, homo etiam is ipse est: necessitas vna, indigentia in vtroque eadem. Et fratri, & extraneo largire: neq; à fratre remoue oculos nec te auerte, & de extraneo fratrem germanum facito. Vult te indigentium esse consolatorem, non personarum acceptorem: neque

in propinquos liberalem, & extraneorum expulsorē. Omnes enim consanguinei, omnes fratres, omnes patris vnius filij.

Non desunt qui è summa cuiusdam periculi tempestate à creatore liberati, nullum penitus suæ vitæ subsidium relictum habent, illámque tempestatem rebus omnibus amissis, anima tenus & corpore euaserūt. Nos igitur quotquot earum calamitatum molestias non degustauimus, participes illos faciamus earum rerum quibus abundamus, víxque tandem seruatos fratres amplexemur. Dicamus alter alteri,
" *Mortuus erat & reuixit. perierat & inuentus*
" *est: atque cognatum corpus foueamus. Hostis diaboli insultibus & contumelijs nostram consolationē opponamus, vt etiam si offenderit ille, non valde videatur offendisse: & cū oppugnauerit, de nemine triumphet: & cum fratribus rerum copiam abstulerit, nostra perspiciatur liberalitate superatus.*

Oportet enim largitorem erga eos qui petūt propter charitatem simplicitate profusum esse, iuxta
" *illud præceptum, Omni petenti te tribue. cogitatione attamen rursum discernere vniuscuiusq; eorum* Luc. 6.
qui petūt, necessitatem, vt ex actis Apostolorum di- Act. 4.
" *dicimus. Diuidebatur enim singulis, inquit, vt cui-*
" *que opus erat. Quia verò multi rerum necessariarū vsu nō contenti mendicitatem ad res augendas, & petulantiam libidinis explendam, abutuntur, prudenter frugalitérque vniuscuiusque necessitati consulendum est.*

His enim qui flebilia carmina componunt, vt mulierculas decipiant, & corporis mutilationes vlceráque in negociationis occasionem confingunt, non omnino larga abundánsque suppeditatio vtilis est: ansa enim ad vitium ista erat largitio: sed modica oportet eleemosyna talium à se latratum amandare atque expellere: condolescere verò & charitatem suam exercere in eos qui patienter æquabilitérque calamitates ferre didicerunt. Quorum gratia dicetur etiam, Esuriui & dedistis mihi manducare,

Mat. 25 »

Ex epist. *Cognitio sane eius qui vere indiget, & qui ad auaritiam petit, experientia hac de causa opus habet. Atque ille quidem qui calamitoso dedit, domino dedit, & ab eo mercedem accipiet: qui verò omni occurrenti largitus est, proiecit importuno cani; propter impudentiam: non miserando, propter indigentiam.*

Ex conc. cõtra Fœnerãtes. *Attendite diuites quæ pauperibus ob inhumanitatem vestram consulimus: Aduersa omnia cõstanter tolerare potius, quàm ex vsuris orituras calamitates subire. Si enim domino pareretis, quid his*
Luc. 6. » *admonitionibus opus esset? Nam ait, Mutuum date,*
» *nihil inde sperantes. Cum enim pauperi propter dominum aliquid es daturus, illud idem & donum est, & mutuum. donum quidem, propter nullam præmij expectationem: mutuum verò, propter splẽdidam domini munificentiam eius vice rependentis: qui cùm pauca in pauperis persona acceperit, maxima eorum nomine reponit.*

Consideret igitur diuitum quisque suos reditus è quibus deo dona oblaturus sit: num pauperem imperio suo oppresserit, num infirmiori vim intulerit, » num à subdito quidpiam inique extorserit. Seruare » enim quod iustum est & æquum, etiam in seruos » precipimur: noli verò, quia superior es vim adferre, neque quia potes, extorquere: sed quia tibi per vires licet, exere iustitiæ opera. Nam in quo nulla tibi datur facultas, in eo sane nullum tui erga deum timoris atque obedientiæ specimen exhibebis: sed in eo quod cum transgredi posis, non transgrederis. Si verò quæ pauperibus eripuisti, ea in pauperes erogas, preclarius tecum ageretur, si neque raperes, neque dares. Ex conc. de Eleemosyna & iudicio Coloss. 4.

Neque enim beneficia ab iniquo quæstu in pauperes collata, deo grata acceptáque sunt: neque qui rapinis huiuscemodi abstinet, laudandus est, si de suo neminem iuuerit.

De his enim qui iniuste posident, atque dona of- » ferre deo aggrediuntur, scriptum est, Sacrificiũ im- » piorum abominatio coram domino. De his autem » qui nulla misericordia permouētur, Qui obthurat » suas aures, ne pauperem exaudiat, ipse etiam inuo- » cabit, neque erit qui exaudiat. propterea monet & » hortatur parœmia, Honora dominum de laboribus » tuis iustis: & primitias illi offer de tuis fructibus » iustitiæ, Esa. 1. Prouer. 15 & 21. Prouer. 21 Prouer. 3. Tob. 4. Luc. 14.

Si enim ex iniquitate & rapina quadam oblaturus es deo, præstantius esset neque talia possedisse Malac. 1.

te vnquam, neq; ex his offerre. Purum enim donum extollet animam, vt scriptum est, & preces eorum
Psal. 34. qui recto sunt corde, acceptæ sunt apud ipsum. Et
& 144. rursum, si possidens è iustis laboribus non obtuleris deo, oblator eorum quibus aluntur pauperes, imputabitur tibi in rapinam: vt per prophetam Ma-
Mal. 3. „ lachiam ait deus, Primitiæ & decimæ vestræ vo-
Pro. 4. „ biscum sunt: & erit in domibus vestris direptio. Quid igitur tuas diuitias coinquinas ô homo, iniqua lucra his superaddens? Quid abominabilem facis oblationem tuam ex iniustitia, dum id offerre tentas, cuius nomine alterius pauperis misertūrus es? eius misereare quem iniuria afficis. In hūc summa vtere humanitate, huic gratificare, & adimplebis misericordiam cum iudicio.

Neque enim deo vlla est cum auaritia cōmunica-
Psal. 46. tio: neque vllum est domino cum prædonibus & rapacibus commercium. Neq; pauperes nobis enutriendos reliquit, quòd eos alere non posšit: sed iustitiæ atque humanitatis vberem à nobis fructum efflagitans, eos summo suo in nos beneficio nobis commendauit. Eleemosyna ab iniustitia non existit, neque à maledictione benedictio, neque ex lachrymis beneficia. Inanis gloriæ sunt ista, atque laudem humanam, non diuinam venantur.

Si enim vt deo inspectore eleemosynam facis, caueto ne eam ex alienorum vsurpatione facias, non ignarus te hac ratione speculatori deo non placere. Sic igitur eleemosynam faciamus, vt à deo postea eam

eam recepturi. Reddit enim deus illis quos laudat: auarum verò neminem laudat.

Ne decipiamini: non aliter Christo accepta erũt nostra in pauperes beneficia, nisi prius alienis iniu ria ablatis penitus exoluamur: Sic enim dominus
» gratã habuit Zacchæi probitatẽ: atque inquit, Ho Luc.19.
» die salus domui huic facta est: quia cum instituisset
» quadruplum reddere eorum si quid defraudasset,
postea earum pecuniarum quas reliquas habebat,
» dimidiũ pauperibus dabat. sciebat enim quæ Christus accepta haberet.

Enimuero fratres, permittamus ei qui volet, in egenos supra modum pecunias profundere: ne prætercurramus eos qui in oculis nostris etiãnum sunt positi Lazari, neque mensarum nostrarum micas, eorum satietati abunde satisfacientes, illis inuideamus: neque crudelem illum diuitem imitati, eiusdẽ cum illo gehennæ flãmæ participes efficiamur. quia tunc multis quidem precibus Abrahamum, multis etiam vnũquenque eorũ, qui bene vixerũt rogabimus, neque clamoris nostri vlla in nos redundabit
» vtilitas. Frater enim non redimit, redimet homo? Psal.48.

Ex cõ. de nõ adhærẽdo rebus huius vitæ.
Luc.16.

Acclamans verò horum vnusquisque nobis inquiet, Ne quæras humanitatem qua ipse erga alios nunquam es vsus: neq; velis tam magna consequi, qui vel minimorum fuisti tenacissimus: fruere his quæ dum viueres collegisti. Lugeto nunc, quia tum lugentem fratrem cum videbas, eius non misertus es. Hæc nobis dicent, idque non immerito. Equidem

metuerim, ne iĳ etiam acerbioribus nos verbis confodiant: quãdoquidem, vt ſcitis, diuitem illũ ipſum improbitate ſuperamus.

Nam aſſentatores & paraſiti laute oppiparéque apud nos excepti, manus etiam precioſiſsimorum donorum pondere graues deportant, atque à nobis diſcunt multo vtilius eſſe hæc illos agere atque perſequi, quàm virtutes. Si verò pro foribus noſtris ſtet pauper, præ nimia fame vix verbum vnum enuncians, auertimur ab eo, feſtinãtes aufugimus, veluti metuentes ne ſi cũctantius gradiamur, communem cum illis ſuæ infelicitatis labem contrahamus: & ſi calamitatis ſuæ pudore ſuffuſus, vultum in terram demittit, ſimulatorem illum eſſe dicimus: ſi verò ſtimulante famis acerbitate, audacter intueatur, impudentem nos rurſum eum violentúmq; appellamus. Quod ſi non detrita veſte, vtpote ab aliquo dono accepta, induatur: vt inſatiabilẽ eĳcimus, paupertatémque ſimulare ipſum aſſerimus: ſin putrida pannı́ſque obſita veſtiatur ſaga, vt male olentem rurſum expellimus.

Ac neque creatoris noſtri nomen precibus illius ſupplicibus admixtum, neque continua bene precandi nobis vota, ne ſcilicet in ſimiles ſuis calamitates incidamus, immiſericordem & inclementem animi ſententiam poſſunt flectere. Grauiorem hac de cauſa ignem gehennæ nobis paratum ſuſpicor eo qui diuitem Lazari deſpectorem perpetuo adurit. Vt autem nobis id minime accidat, miſericordia

misericordiam comparemus, vt & æterna bona consequamur, in Christo Iesu domino nostro, cui gloria & potestas, cum æterno eius patre, & viuificante spiritu, nunc, & semper, & in secula seculorum. Amen.

DE DIVITIIS ET PAVPERTATE, Concio V.

PVTEI, *quo sæpius exhauriuntur, eò scaturiunt magis: sic & in diuitijs, quicquid immotum est, inutile est: quodcunque verò ad vsum communem reuocatur, id publicæ vtilitati seruit, suúmque adfert fructũ.* [Ex conc. in illud, Destruã horrea.]

Itaque me non parua subit admiratio, quomodo post superfluam & inutilem sumptuum excogitationem, quando mille modis dißipatæ ac distractæ pecuniæ adhuc supersunt, in terrã à poßidente protruduntur, atque in penitioribus locis asseruantur. Papæ: postquàm innumeris modis excogitatu diuitiarum cumulum abligurire haud potuit, tum humi occultat. [Ex conc. ad Diuites.]

Nec mihi alio animi affectu videtur esse diues, quàm gulosus. Vterque enim præ ingluuie medius crepare mauult, q̃ ex reliquijs pauperibus quidpiã [Ex conc. in illud Destruã horrea.]

distribuere. Talis erat ille in Euangelio diues: *aderant qui eius animam reposcerent:* ille autem secum de indulgendo genio ratiocinabatur. Hac ipsa nocte intercipiendus erat, & in annos plurimos his se fruiturum imaginabatur.

Ex conc. ad Diuites.

O dementiam insignem. Quandiu enim in terræ visceribus delitescebat aurum, ea scrutabatur & effodiebat: cum autem in apricum prolatum est, rursum id humi occultat: atque hinc accidere arbitror, ut qui aurum, suum quoque cor simul defodiat: Vbi enim thesaurus tuus, ibi & cor tuum.

Luc. 6. " "

Ex conc. in illud, Destruã horrea mea.

Agedum, ô diues, pecunias tuas varijs in locis expone: ne precij caritatem aucuperis, ne rei frumentariæ penuriam expectes, horrea tua vt aperias: ne famem propter aurum, neq; publicam indigentiam propter priuatam propriámq; facultatum abũdantiam opperiaris: ne sis calamitatum humanarum caupo, ne iram dei occasionem facias augendarum pecuniarum. Tu enim ad aurum oculos conuertis: fratrem autem tuum non respicis. Et numismatis quidem non ignoras characterem, & à probo discernis adulterinum: fratrem autem tuum, quòd indigeat, nullo modo agnoscis. Atq; te splendidus auri color, mirum in modum delectat: quanta verò te sequantur egeni suspiria, apud te non reputas.

Ecquem, inquis, iniuria afficio, mea dum contineo? Quænam, dic mihi, tua sunt? Vnde hæc accepta in hanc uitam intulisti? Quemadmodum siquis occupata in theatro sede, cæteros qui accedunt postea

velit exigere, proprium sibi existimans, quod communi omnium vsui est destinatum. Tales *sane sunt diuites. rebus enim communibus occupatis, praeripiendo ea sibi peculiaria efficiunt.* Nam *si quisque quod suo satis esset vsui sumeret, quódque superesset egentibus largiretur, ne vnus quidem relinqueretur diues, nullus item pauper.* Nudus *ex vtero matris prodijsti, nonne rursum in terram nudus reuerteris? Quae autẽ possides, vnde?* Si *enim casu haec obuenisse narras, impius es, qui non agnoscas creatorem, neque ei qui dedit, gratias agas: si verò ingenue fateris à deo, quaeso te in quem vsum haec accepisti?* Num *iniustus est deus, qui ad vitam necessaria nobis inaequaliter dispensat?* Cur *ipse opibus abundas, ille autem rerum omnium penuria laborat?* Nonne *prorsus, vt & tu benignitatis, fideliterque gestae administrationis mercedem accipias, atque ille magnis patientiae certaminibus honoretur?*

Atqui liberorum causa, necessariae sunt diuitiae. Ex conc. ad Diuites.
Optimus *est hic auaritiae praetextus: liberos quidem in excusationem adducitis, sed re vera animi cupiditati inseruitis.* Insontem *ne accuses. suum ille habet dominum, suum moderatorem, cui hanc vitam fert acceptam: ab eo suae vitae subsidium expectet. An non connubio mancipatis scripta sunt euange-„ lia?* Si *vis perfectus esse, vende quae habes, & da* Matt. 19.
„ *pauperibus.*

Cùm *à deo prolem tibi precabaris, cùm liberorum te parentem fieri rogabas, illúdne addebas,* Da

mihi liberos, vt mandatis tuis non paream? da mihi liberos, vt regnum cælorum non assequar? Quis verò filiorum tuorum ingenij institutíque tibi erit fideiussor, eos traditis sibi rebus bene vsuros? Diuitiæ etenim intemperantis lasciuientísq; animi ministræ multis extitêre.

Vide igitur ne opibus innumeris laboribus à te congestis, peccandi materiam alijs appares, ac postea duplicem luas pœnam, & eorum quæ ipse perperam egisti, & eorum quibus ad ita agendũ alios instruxisti. Liberi enim nullis à parentibus rebus relictis, sibi sæpenumero domos ædificarũt. Anima verò tua à te circunuenta & deserta à quo misericordiã consecutura est? Quid igitur tanto auri desiderio afficeris? Quis ita comptus atque gloriosus, ad suam vitam vel vnum diem addere vnquam potuit? Cui ob diuitias mors pepercit? A quo propter pecunias abstinuit morbus?

Quousque tandem aurum animorum eris angina, hamus mortis, malorum illex? Quousque tandem diuitiæ eritis bellorum materia, ob quas exacuuntur enses, ob quas ipsius etiam naturæ obliuiscuntur consanguinei, atque etiam fratres toruum truculentúmque sese vicissim intuentur? Quis mendacij pater? quis simulationis opifex? quis periuriũ generauit? nonne diuitiæ? nonne indebitum quod eis impertitur studium? Quæ vos insania male habet ô homines? Quis vobis in vestrûm insidias vestra conuertit? Nũquidnam pecuniæ ad id datæ sunt vt sint

viatica malorum? Atque quibus rebus animæ redimuntur, numnam internecionis auctores erunt?

Si enim ad improbitatem pro viatico sunt diuitiæ, miserandus proculdubio est diues: sin ad virtutem sunt ministræ, locum non habet inuidia, cum suam illæ omnibus elargiantur vtilitatem. Ex conc. de īuidia

Est ideo consentaneum, cum desunt, eas minime percupere: cum adsunt, non gloriari magis quòd has possideas, quàm quòd his bene vti scias. Præclare enim Socrates, diuite se miris modis ob rerum copiā efferente atque insolescente: non prius inquit se hūc admiraturum, quàm hísne vti sciret, periculum fecisset. Ex conc. quæ vtil. ex prof. libr. capi posit.

Nam bona valetudo ac diuitiæ sæpenumero peccati administræ sunt, his qui horū vtroq; abutūtur. Ex cōm. in I. psal.

Quæ vera autem est paupertas, ea omnibus voluptatis oblectamentis apud tēperantes antefertur. Ex Hexa hemero.

Sed horum quicquam nemo nostrum cogitat: imò videns quempiam summa inopia depressum ante genua supplicem, nihil non humile facientem, vt etiam accepto mutuo, suæ medeatur inopiæ, non tamen eius miseretur, licet præter quam quod deceat faciat: quinetiam rigidus implacatúsque stat, eiurans & sese diris deuouens, nisi etiam ipse prorsus indigeat, ac sedulo perquirat, num quem ex fœneratoribus inueniat: atque ita demū cōfirmato sexcentis iurandi modis mendacio, pessimam suæ inhumanitatis accessionem, periurium comparat. Postquàm verò is qui mutuum petit, vsurarū mentio- Ex conc. cōtra Fœnerātes.

nem fecerit,& pignora nominarit,tum remisso supercilio adridet, fortè etiã cõmemorata olim cum patre eius amicitia,tum sibi familiarem & amicum dictitat:ac videbimus,inquit,sicubi nobis repositum est nummorum quidpiam. Ac sunt quidem certè apud nos deposita amici cuiusdam hominis pecuniæ,quæstus faciẽdi causa:sed ille grauiores vsuras præscripsit,nos tamen prorsus quidpiam remittemus,atq; leuioribus vsuris illas à nobis accipies.

Hæc ita cum simulauit,& tali oratione adblanditus est,ac inescauit miserum,& tabulis eum publicis sibi deuinxit,præter eam,qua misere torquetur,paupertatem,afflictato homini libertate etiam adempta,citus abit.

Quid agis miser? Pecuniásne & quæstũ ab indigente postulas? Si te ditior erat census æstimatione, quid pro foribus tuis inuestigabat? O rem miseram & calamitosam:subsidium cùm quæreret,hostẽ nactus est: amuletum peruestigans vndequaque,incidit in venena. Oportebat viri inopiam consolari, eam verò tu adauges? non secus ac si medicus quispiam ad ægrotos ingressus,dum eos pristinæ valetudini restituere debet,tantillum etiam virium quod superest,penitus auferat.

Tu igitur miserorum calamitates in quæstus tui occasionem vsurpabis? Et quemadmodum agricolæ imbrem precantur,multiplicandæ suæ sementis gratia,sic & tu egestates atque inopias hominũ quæris, vt quæstuosæ fœnúsque pensitantes tibi tuæ sint pe-

cuniæ. Et qui sibi ad vsuram nummos quærit, summa rerum omniũ penuria circunseptus, cum ad inopiam respexerit, de solutione vsurarum desperat: cum autem ad vrgentem necessitatem, æs tandem alienum conflat.

Cùm autem pecuniæ sensim elabũtur, & tẽporis progressus vnà secum fœnora promouet, tum nõ noctes illi quietem adferũt, nulla illi læta atque hilaris illucet dies: non iucundus sol, sed molesta est illi vita. Odit dies qui fœneralia vrgent. Si dormit, fœneratorem in somnis videt, iniucundũ cerebro somnium repræsentantem: sin vigilat, nulla illi cogitatio, nulla nisi de vsuris est illi solicitudo.

» *Verùm & ad eum qui fœneratur dicere licet, E* Prouer. 5.
» *tuis vrceis aquas bibe, & à fontibus tuis: hoc est, Ne aliorum fontes contere, sed ex tuis ipsius scaturiginibus tuæ vitæ solatia congere. Habes æramenta, vestes, iumentũ, omnis generis vasa: hæc vende, omnia prodas potius quàm libertatem. Sed hæc, inquit, facere erubesco. Quid igitur? quia paulo post alius hæc auferet, tuáque omnia auctionabitur, & te inspectore de his vili precio venditis, vt libuerit statuet. Præstantius sanè est rationibus paulatim excogitatis, inopiæ mederi, quàm conflato statim alieno ære, postea omnibus simul suis rebus funditus denudari.*

Si igitur habes vnde æs alienum quod vis cõtrahere dissoluas, quid nõ te præsenti indigentia ijs rebus liberas? sin soluendo non es, malúmne alio malo

curabis? Pauper es nunc, liber tamen: fœnore verò si acceperis, neque ditesces, & libertate tua priuaberis. Seruus fœnerantis ille est, qui in fœnus accipit: & seruus, & mercenarius, duram & ineuitabilem seruitutem seruiens.

Feroces canes si quid accipiunt, mansuescunt: fœnerator verò, etiam si quid accipit, iritatur magis: adlatrare non desinit, sed semper plus petit. Si iuraueris, fidẽ non habet: intima perscrutatur, cõmercia tua curiosius inquirit atq; indagatur: coram vxore te pudore, corã amicis cõtumelia afficit. Nũdinis te singulis angit, festi aduentantis malũ omen iniucundã tibi acerbámq; vitã molitur & astruit. Sed magna, inquis, me premit necessitas, neq; aliunde mihi suppeditari posse video pecunias. Quid autem tibi confert hodiernam inopiam paululum si distuleris? fœnus enim non liberationem integram, sed paruã egestatis procrastinationem præstat. Nam si fœnore non acceperis, quanquam non minus quàm hodie, postridie pauper futurus sis, nemo tamen tibi paupertatem vitio vertet: inuitis enim quibuslibet id malum accidit. si verò vsuris te feceris obnoxium, nemo est qui tuam imprudentiam non reprehẽdat. Iam apud te cogita, vnde persolues? æréne alieno quod contrahis? At tibi haud satis & ad subleuandam inopiam, & ad exoluendum creditum esse potest. vnde adeo poterunt multiplicari pecuniæ? Nemo vulnera vulneribus curat, neque malum malo sanat.

Quomodo igitur enutriar? inquis. Habes manus, habes artem: operam tuam loca, famulare: multæ ad tuendam vitam excogitatæ artes, multi modi. Sed forsitan es impotens: ab his qui sunt diuites emendica. At fœda est mendicatio: turpe est etiam creditori decoquere. Itáne formica neque emendicans, neque fœnore accipiens, enutriri potest? apes quoque de alimenti sui reliquijs etiam imperatoribus gratificantur, quibus neque manus, neque artes concessit natura? tu verò homo qui ingenio & sagacitate cæteris præstas animantibus, ex omnibus artibus vnam non inuenies, qua quæ sunt ad vitã necessaria pares?

Diues es? ne fœnori des. Pauper es? ne fœnus accipias. Si enim rerum copia abundas, fœnore non indiges: si rerum omnium penuria laboras, vsuras nõ præstabis: ne vitam tuam pœnitentiæ obuoxiam facito. Hoc vno pauperes à locupletibus differimus, nempe securitate, ipsorúmque vigilias irridemus dormientes, atque contractiones animorum nihil ipsi curãtes, & effusi, summa in libertate versamur.

Debitor sane & pauper est, & anxius, perpetuóque mœstus, & quid facultates valeant, reputans, interdum sumptuosas domos agrósque diuitũ, atque eorum qui occurrũt vestes: Si hæc mea essent, inquit, tanti ac tanti illa venderem, atque vsuris me liberarem. Hæc eius animo noctéq; diéque obuersantur atque insident.

Si fores pulsaueris, ilico sub lectum debitor. Cum

impetu accurrit quispiam? huius tremebundũ percellitur cor: Adlatrat canis? ille totus sudore diffluit, ac timore correptus, cogitat qua euadat via. Praescriptus vsurarum pensioni dies instat? iam animo voluit quidnam mentiatur, quóque praetextu foeneratorem à se summoueat, diémque eximat.

Quid nodosae atque versipelli bestiae teipsum adiungis? Lepores aiunt, & parere simul, & nutrire, atque superfoetare: foeneratoribus etiam pecuniae foenerantur, & pariunt, atque subnascuntur. Nondum enim fere manibus eas attigisti, cum mensis praesentis partus à te reposcitur: ídque rursus foenore acceptum, aliud malum alit, illúdque aliud, adeo vt malorum non inueniatur finis. τόκος enim Graecis foenus, vt arbitror, ex eo appellatũ est, quòd multiplicem malorum foeturam edat. Vnde enim aliunde? nisi forte dicitur τόκος, propter dolores molestiásque, quas inferre eorum animis qui foenore accipiunt, consueuit. Perinde enim atque parturienti certi dolores expectantur, itidem & debitori vsurarum praestandarum dies constitutus imminet: foenus foenori additum, malorum parentum malus est foetus.

Viperas ferunt corroso matris vtero, in lucẽ edi, vitáque eo modo donari: sic etiam vsurae deuoratis debitorum domibus generantur atque existunt. Semina quodam temporis spacio nascuntur: vsura verò hodie generatur, & hodie parere incipit. Quicquid incrementũ accipit, vbi suae magnitudinis api-

ĉem attigerit, augeri desinit: auarorum verò nummi quolibet temporis momento excrescunt adaugentúrque.

Animalia vbi suis fœtibus pariẽdi facultate cesserunt, ipsa tandem parere desinunt: fœneratorũ verò pecuniæ fructus suos edunt, nunquam tamẽ effœtæ sterilescunt, sed perpetuò renouantur.

Et quẽadmodũ qui in cholera, quod semper è bile existit, euacuant, ac priusquam funditus eam purgent, alium cibum superinducunt, rursum cum dolore & cõuulsione vomunt: sic qui fœnore accipiũt, vsuris vsurarum sese onerantes, & priusquam primis se liberent, secundus se implicãtes, breui admodum tempore rebus alienis pro suo arbitrio vsi, suarum iacturam postea misere deflent.

Sed multi, inquis, acceptis ad vsuram nummis diuites euaserunt: at plures opinor, laqueo propter eas vitam finierunt. Tu verò suffocatos non numeras, qui in congreßibus ignominiæ notã minimè ferentes, maluerũt laqueo sibi mortem consciscere, quàm turpiter ignominioseque viuere.

Vidi ego dignum summa miseratione spectaculũ: pueros ingenuos, ob paterna nomina, tractos in forum vt venderentur. Non habes vnde liberis tuis nummos relinquas? ne præterea eripias illis nobilitatem atque ingenuitatem. Id vnum serua illis diligenter, hæreditariam libertatem, quàm à parẽtibus & maioribus veluti depositum quoddam accepisti. Nemini vnquam inopia crimini data est: at ob

æs alienum parentis, nexi addicuntur carceríque mancipantur. Ne acceptorũ tabulas, quaſi diras parentum imprecationes, liberis ceſſuras & poſteris, relinquas.

Ex cõ. in lxj. Pſ. Pſal. 61 *Diuitiæ enim, inquit, ſi affluant, nolite cor apponere. Hanc vocem admirare. Diuitiæ, inquit, ſi affluant. Fluxa diuitiarum natura, torrente velocius ſe poßidentes præterlabitur: aliàs alij excidit & elabitur, & veluti fluuius ab alto proruens applicat ſe ad eos qui in ripis ſunt, quos ſimul atque attigit, ſtatim relinquit: ſic diuitiarum mobilitas, celerrimam habet atque lubricam præſentiam, alióſque viciſſim mutare ſolitam. Huius eſt hodie hic ager, & cras alterius, & paulopoſt alius.*

Conſidera domos quæ in ciuitate ſunt, quot iam ab eo tempore quo extructæ fuerũt, nomina mutarunt, modo horum, modo illorum poſſeſſorum appellatione cognominatæ. Atque ſemper aurũ poßidentis è manibus perfluens, ad alterũ tranſit, & ab illo ad alium. Itaque facilius poteris aquam manibus hauſtam continere, quàm diuitias tibi diutius cuſtodire.

Ne igitur inuideas è valde locupletibus cuipiã, neque eius vitam beatam eſſe duxeris. Quòd ſi vndique ac ex vberi fontium ſcaturigine circunfluãt pecuniæ, ne tantam rerum copiam amplexeris.

Ex cõ. in xxxiiii. Pſalm. *Neque verò omnus ſemper laudanda eſt paupertas: ſed quæ voluntario, euangelíique præſcripto dirigitur. Multi ſupellectile pauperes ſunt, animi ve-*

rò affectione & proposito quamplurimarum rerũ auidißimi: quos non seruat inopia, sed condemnat cupiditas.

Diuitiæ verò & gloria quatenus se præditos bonos non efficiunt, his quæ natura bona sunt minime annumerantur: quatenus verò quandam commodioris vitæ facilitatem præbent, anteponuntur contrarijs, paupertati & ignominiæ. Hæc siquidẽ alijs administrationis dispensationísque gratia, vt Abraham & Iacob, cæterísque huiusmodi probis viris à deo concessa sunt: alijs autem qui peruerse agunt, exhortationis causa, vt mores emendẽt, adeo vt qui post tantam dei benignitatem atque liberalitatem improbus esse perseuerauerit, obnoxium se damnationi indubitatò constituat. Iustus siquidem diuitiarum quæ adsunt nimis anxie curam non gerit: cum desunt, non inquirit. non enim ad fruendum à deo beneficia accipit, sed ad largiẽdum & alijs distribuendum. Nec eorum qui sapiunt quisquam festinanter aliena moderandi negocium suscipit, nisi vulgi induerit opinionẽ, qui admirantur, magníq; faciunt eos qui aliquem dignitatis gradũ obtinent. Ex epist.

Quòd si de despiciendo corpore cogitaremus, vix sanè rerum humanarum quidpiam aliud admiratione dignius censeremus. Siquidem non video quid nobis prosint diuitiæ, spretis corporis voluptatibus, nisi fortè introductorum in fabulis more draconũ, voluptatem aliquam adferat, defoßis in terrã thesauris inuigilare. Ex conc. quæ vtil. ex profa. libr. capi posit.

Ex Asceticis. *Ac præcipuum quidem munus Christiani est, varijs & diuersis vitiorum illecebris spoliari, quibus anima conspurcatur: secundo verò loco oportet, vt qui sublimem secundum Deum vitam viuere instituit, facultatibus suis renunciet. Quādoquidem diuersè variéque animum distrahit humanarum rerum cura atque solicitudo. Quādo igitur plures in eundem salutis scopum intuentes, vitæ consortio vti alij cum alijs volūt, ante omnia oportet id apud ipsos obtineat seruetúrque, vt vnus omnibus animus sit, vna volūtas, vnum desiderium, atque vt sancit*
1.Cor. 12. „ *Apost. Vnum fiat corpus differentibus membris cōpactum & constitutū. Illud verò aliter confici non potest, nisi id obtinuerit, vt nemini quidpiam certo nuncupetur, nō pallium, non vas, nō quidpiā aliud earum rerum quæ cōmunis vitæ vtilitati seruiunt, vt horum vnumquodque vsus esse dicatur, nō possidentis. Et quemadmodum proceriori corpori breue pallium incongruum est atque valde inconcinnum, vel exiguo prolixius, sed vnicuique cōpar & æquale, est & vtile simul & bene couueniens: sic & in huiusmodi, lectus, stragulum, calidum amiculū, calceus, indigentis esse debet, non possidentis.*

Atque vt pharmaco qui læsus est, vtitur, non qui valet: sic & earum rerum quæ corpori refocillando adinuenta sunt, non luxurians, sed indigens, commoditate iustè fruitur. In Christo Iesu domino nostro, cui gloria & potestas in secula seculorū. Amē.

DE

DE AVARITIA HABENDIQVE *cupiditate vitiosa.* Concio VI.

CVM IN *domum inepti hominis introeo, eámq; conspicio floribus omnis generis perfusam, agnosco hunc rebus quæ sub aspectum cadát, nihil prius habere.* At *ille inanimata quidem accurate ornat: animo autem est incomposito atque incompto. nam innumeri pro foribus adstant pauperes, nihil non lachrymabile summáque dignum miseratione vociferantes: largitionem tamen is recusat, fieri non posse inquiens, vt tot petentibus satisfacere poßit.* Et *lingua quidem negat, manus autem eum falsi conuincit.* Illá *etenim tacens mendacium promulgat, gemmati annuli splendore tota circunfulgens.*

Ex conc. in illud Destruã horrea mea.

O *infelix atque miser, quot obæratos vnus tuus annulus ære alieno liberare potuerit? quot domos corruentes erigere?* Vnica *tuorum indumentorum arca omni genere vestimentorum populum frigore horrentem vestire potest.* Sed *tu pauperem amandare infecta re sustines, iustam iudicis vindictam non reformidans?* Non *misertus es, tui non miserebitur: domum tuam non aperuisti, expelleris è regno: panem non dedisti esurienti, æternam vitam non accipies.*

Verum pauperem te esse affirmas. ego sane non inficias eo. pauper enim est qui multis indiget. Multis autem te indigere facit inexplebilis tua illa cupiditas.

Decem talentis vt alia decem addantur, totus incumbis: vbi numerũ viginti impleueris, tot alia superaddere contendis. Nũquam quod additum est, impetum cupiditatis sistit reprimitve, sed eum accendit & inflammat.

Vt enim temulentos ad bibendum prouocat frequens vini haustus, sic & recenter ditati cum multa acquisierint, pluribus inhiant, eo semper quod additur, morbum fouentes. Eorum itaque studium contrà quàm sperabant, eis cedit. non enim adeò ipsos exhilarant ea quibus abundant, ac tristitia afficiunt illa quæ sibi deesse censent. Lætari etenim ipsos atque gratias habere cum oporteret, quòd plurimis se cernant ditiores, iniquo animo ferunt, quòd vno vel altero è ditissimis inferiores relinquantur.

Ex conc. de mart. Iulitta. *Neque quos infra se relinquant, recensentes, benefactori, pro his quæ possident, habent gratiam: sed facta sui cum locupletioribus comparatione, quãto ab his diuitiarum interuallo relinquantur, secum reputantes, opibus quas alij possident, veluti suis priuati, ita discruciantur conquerunturque.*

Ex conc. quæ vel. ex prosa. libr. capi posit. *Qui enim rerum necessariarum limitibus se non continent, haud absimiles ijs qui per decliue præcipites feruntur, firmum pedem alicubi figere non valentes, nusquam ab incœpto in pronum cursu desi-*

ſtunt: ſed quanto pluribus circundantur, ab æqualitate abſunt, vel etiam pluribus ad explendam cupiditatem egent, ſecundum Solonem Execeſtidæ filium, qui ait,

" *Nullus opũ limes poſitus mortalibus. Vtẽdum verò his in rebus Theognide monitore inquiente,*

" *Non amo nec cupio diteſcere, dum mihi tãtùm*

" *Exiguo liceat viuere & abſque malis.*

Ego verò non poſſum non admirari Diogenis rerum omnium ſimul humanarum deſpicientiam, qui quidem magno etiam Imperatore ditiorem ſe monſtrauit, quòd paucioribus ad tuendam vitam indigeret. Auaris autem nunquam ſatis futurum eſt, niſi Pythij Myſi talenta adſint, quamplurimáque terræ iugera, pecudúmque tot greges, vt numerum excedat multitudo.

Sed quemadmodum qui ſcalas conſcendunt, ad propoſitos gradus veſtigia ſurſum attollere non prius deſiſtunt, quàm culmen attigerint: ſic & hi, quando diuitem hunc ſunt aſſecuti, mox ditiori æquales fieri contendunt: cúmque illum anteuerterint, in alium omne transferunt ſtudium: neque cœptum quo ad conquirenda dominia feruntur, impetum remittunt, donec in faſtigium ſublati, altiore caſu deturbentur atque diſrumpantur. Ex conc. ad Diuites.

Atque vt qui per inſaniam mente capti ſunt, res ipſas non vident, ſed quas morbi vitio imaginãtur: ſic auarorum animus, pecuniæ auiditate obrutus, quicquid videt aurum eſt, quicquid cernit argẽtum Ex conc. in illud, Deſtruã horrea mea.

est: ac lubentius aurum quàm solem intueatur. Optat vt omnia induant auri naturam in eámq; transmutentur. Atque vt id eueniat, nullum non mouet lapidem.

Quam enim artem auri gratia non machinatur? frumentum illi fit aurum: vinum in aurum concrescit: lanæ illi in aurum commutantur. omnis negociatio, omnis illi excogitatio aurum profert: ipsum etiam aurũ, dum fœnoribus multiplicatur, seipsum generat: neque vllus vnquam inuenitur cupiditatis modus.

Helluonibus enim pueris impune sæpenumero permittimus cibis se affectatis ingurgitare, vt eos tandem è nimia satietate fastidiant: auaris autem ita non accidit, qui quanto plura ingesserint, appetunt plura.

Ex conc. habita Lacizis. *Ignis sanè cum vrere incipit, totam statim materiam depascitur & absumit: neque eum quispiam sistere potest, nisi consumpta penitus materia: auari autem auiditatem quid inhibere poterit? igne sæuior est omnia continenter depascens.*

Cuiuspiam vicini prædijs partis, alius exoritur finitimus, cuius etiam possessiones occupat: nec quæ iam à tergo sunt, quàm multa sint: sed quæ deficiũt, quòd vicinos habeat, aduertit. Parta non exhilarant, sed afficiunt molestia nondum acquisita. Accumulatis vt fruatur, animum non adhibet: sed amplioris rei auiditate totus consumitur.

Ex conc. in illud *Hinc deinde vigiliæ, curæ, solicitudines. Quid*

" *faciam? Diruam horrea mea, & ampliora ædifica-* Destruã
" *bo.* Demens, *hac ipsa nocte animam tuam repetent* horrea
" *abs te: quæ verò parasti cuius erunt? grauior sane æ-* mea.
terno supplicio excitabitur de tua socordia risus. Luc.12.
" *Qui enim mox rapiendus est, qualia cõsultat?* Mea,
" *inquit, diruam horrea.* Pulchre *quidem agis, huic ego libenter dixerim: digna enim subuersione sunt hæc improbitatis promptuaria: tuis ipsius manibus euerte quæ perperam ædificasti. horrea dirue, vnde nemo vnquam solatium reportauit.* Radicitus *extirpa totam domum tuam auaritiæ custodem: amolire tecta, vndequaque muros euerte, ostende soli marcescens frumentum. educ è custodia vinctum* Ditem. *de tenebrosis mammonæ latebris age triumphum.* Diruam *horrea mea atq; maiora construã.*
" Ea *verò si impleueris, quid postea cogitabis? an non rursum amolieris, & rursum ædificabis?* Itaq; *quid his est inconsideratius atque insipientius, laborare perpetuò in his magno studio ædificandis, atque non minore euertendis?*

" *Quod si audieris,* Vende *omnia quæ habes, & da* Ex conc.
" *pauperibus, vt habeas viaticum ad perpetuã quie-* ad Diuites.
tem, abis tristis: sin audieris, Pecunias *tuas delicatis* Matt.19.
mulieribus dato, lapicidis, fabris, tessellarijs, pictoribus, gaudes, acsi quidpiam pecunijs preciosius tibi comparaueris. Marc.10 Luc.12.

Non *vides hos muros præ vetustate dirutos, quorum rudera per totã diffusa ciuitatem, veluti quidam scopuli eminent seséque attollunt?* Quot *erant*

in ciuitate pauperes, dum hæc extruebantur, qui propter nimium earum rerum studium à tũ diuitibus despiciebantur? Vbi igitur splendida illa operis structura? vbi ille qui nimia operis magnificentia sibi satis inuidiæ conflauit? Nonne illa perturbata sunt è medióque sublata, non aliter quàm illa puerilia ludicra subiectus arenis exædificata? Illum verò in inferis sepultum consumpti vanis in rebus studij sero tandem pœnitet. Macte virtute vir esto, ô homo. at parietes & humiles & excelsiores eũdem possidentibus vsum præstant.

Ex cõc. in illud Destru. horrea mea. » Habes horrea, si vels, pauperum ventres. Thesauriza tibi thesaurum in cælo: quæ illic reposita » sunt, non ærugo & tinea demoliuntur, non caries » absumit, non furantur fures. Sed tum indigentibus

Matth. 6. elargiar, cùm secunda horrea impleuero. diuturna tibi vitæ tẽpora constituis. at vide ne qui tibi præscriptus instat dies, te præoccupet. Pollicitatio siquidem ista benignitatis non est, sed improbitatis argumentum. Promittis enim non vt postea des, sed in præsentia vt à dando te liberes. Quandoquidem te nunc quid dare impedit? non adest qui indigeat? nõ plena sunt horrea? non prompta merces? non præceptum perlucidum? Esuriens tabescit, denudatus horret frigore & congelascit: à quo nomina exiguntur, is in carcerem protruditur: & tu eleemosynam rèiicis in crastinum? Audi Solomonem, Ne dixeris, abi

Prou. 3. » ac reuertere, & cras dabo, cùm hodie bene facere » possis. non nosti enim crastinus quid parturit dies.

Præterea cum aurum dedisti, atque inde tibi equũ comparasti, ob id nõ tristaris: cùm autem corruptibilia deseris, & cælorum regnum assequeris, luges, atque petenti recusas renuisque largitionem, mille prætexens expensarum occasiones. Quid iudici responsurus es? qui parietes vndique vestis, hominem non induis: qui equos phaleris ornas, fratrem tuum sordidè indecoréque vestitum despicis: qui frumentum marcescere cogis, fame pereuntes non alis: qui defodis aurum, in vincula miserè tractos cõtemnis.

Quî sub cõspectũ tibi pauperis dolores & ærumnas adducam? Ille examinatis rebus omnibus quæ domi sunt, videt neque sibi aurũ esse, nec fuisse vnquam. Vestes atque vasa, talia qualia pauperũ esse solẽt, paucorum, si æstimes, omnia denariorũ. Quid igitur? In liberos tandem oculos conuertit, vt in forum vendendos deducturus, instanti quo hinc mederatur morti.

Perpende hîc vrgentis famis paternique affectus certamen. Illa quidem miserabilem minitatur necem: natura autem in diuersum trahit, liberis com mori persuadens. Et sæpe factum aggredi gestiens, sæpe etiam impeditus, vincitur tandem indigentiæ necessitate coactus. Et qualia cõsultat animóq; voluit pater? Quem horum vendam? quem verò chariorem habiturus est frumenti venditor? Maiorémne natu aggrediar? at eius primigenia reuereor. An iuniorem? at teneræ eius ætatis ferendis insuetæ calamitatibus miseresco. Hic parentum seruat veré-

que exprimit imaginem: ille ad disciplinas natus. est idoneus. Quanta bone deus consilij inopia laboro. qui sim? quem horum offensabo? qualem feræ crudelis animum induam? quomodo naturæ obliuiscar? Omnes videbo dolore consumptos. Vnum si prodam, quibus oculis cæteros aspiciam, infidelitatis suspicione apud illos iam male audiens? Quî domum meam incolam, quam mihi ipse liberis orbam effecerim? Quomodo ad mensam accedam ex eiusmodi occasionis penu cibis munitam?

Sic ille quidē sparsis innumeris lachrymis charissimum sibi filium venditurus abit. Te verò non flectit hæc calamitas? nullam habes naturæ rationem? At miserum quidem opprimit fames: tu verò dare differs ac dissimulas, diuturniorem misero illi miseriam astruens. Atque ille viscera sua tibi profert, vt his cibos redimat: tua verò manus non solùm stuporem non excutit, è tantis calamitatibus precium accipiens: sed etiam vt id augeatur, rixaris & certas. In eóque totus incumbis, vt multis acceptis minora rependas: ideóque misero calamitatem vndequaque grauiorem importas.

Seleucidem auem rerū omnium cōditor ita creauit, vt conferendis in homines beneficijs nunquam defatigetur: tu verò tuum tibi animum ita comparasti, vt quamplurimis nocendi nulla vnquā te capiat satietas.

Piscium maior pars se alij alios vorāt: & qui inter illos minor est, maioris cibus esse solet: et si quā-

do accidit minoris voratorem alteri esse prædæ, sub vnum ventrem piscis postremi, ducuntur.

Quid igitur nos ô viri aliud agimus, indigentiores dum opprimimus? Quid inter postremum illum piscem & hunc interest, qui ob insatiabilẽ diuitiarum cupiditatem infirmiores inexplebili auaritiæ suæ sinu occultat? Ille rem inopis rapuit, eũ tu correptum in tuum tibi peculium transfers: itaque iniquo te iniquiorem exhibes, atq; defraudatore quouis rapaciorem.

Vide ne idẽ te qui pisces finis maneat, hamus alicubi, aut sagena, aut retia latitãt. Etenim nos quoq; prorsus longius iniustè faciendò progressi, vltimum tandem iudicium non effugiemus.

Possessiones per rapinam partas tibi reliquit pater: redde tu iniuria affecto, ne tu tibi eas vt proprias vendica: peccati est hæreditas. Iniustè in seruitutem redactum tibi seruum reliquit pater: eum tu libertate dona, vt & illi efficias leuiora tormenta, tibíque libertatem pares.

Liberos ne causeris. Sunt tibi? Thesaurũ illis perpetuum thesauriza: optimam illis tui memoriã relinque, non diuitias multas. Omnes fac tui filij patres, beneuolentia. Necesse est aliquando te ex hac vita migrare, filium deinde tuum in ipsa pueritia deseres monitoribus & magistris egentem: si certe vir bonus fueris, vnusquisque tuam prolem vt suã educabit: meminerint enim etiam orphanorum te fuisse patrem. Sin vita flagitiose peruerséque acta,

multis etiam à te offensis, & omni fera in ciues sæuior, diem claudas extremum, natum tuum communem omnium hominum hostē reliquisti. Quemadmodum enim scorpionis fœtum qui videt, veretur ne si adolescat, patrem imitetur: sic liberos tuos paternæ improbitatis hæredes fore, suspectos, etiãnum paruulos, nemo non insidijs petet.

Ex conc. ad Diuites. *Nam vt flumina paruis primum initijs erumpentia, additis sibi deinde paulatim riuulis, augmẽtum intolerabile sumentia, violenta cursus rapiditate quicquid occurrit secum trahunt: sic & diuites ab exigua potestate progressi, atque ex his quos oppresserunt maiorem sibi vim facultatémque iniuriam inferendi assumentes, rebus aliorum iam iniuste quæsitis, cæteros vexant & opprimunt: atque illis improbitatis abundantia, in virium cedit augmentum, nimirum singulis offensorum sibi melius consultum iri iudicãtibus, nihil præterea damni accipere, quàm pro iam accepto litem intendere.*

Ex conc. habita Lacizis. *Ne igitur vicini agros ambias, neque sulco sulcũ addens, paulatim iugera tua protendas. quantum enim ea ex alieno dilatas, tanto grauius tibi peccatum adstruis.*

Itaque terra hîc manet à te paulatim protensa & rapacitate facta non amplius tua, sed posteritatis tuæ, iniustamque successori vitam relinquis. Terra toto stat æuo: peccatum verò vt vmbra omnem sequetur animam. vt enim corpus vmbra sequitur, sic & peccatum animæ cohæret.

Præterea, quotquot cũ proximi detrimento ſuarũ possessionum limites magnis oppreſſorum ſuſpirijs adauctarum protenderunt, hi manifeſtò ſunt à dei benedictione alieni, adeò vt vbi boum iuga decem, vt eſt apud Eſaiam, arauerint, vix lagunculam vindemient vnam. Atque vbi ſementis triginta modij ſolo fuerint mandati, vix inde fructus tres modij reddantur. Ex cōm. in Eſaiã. *Eſaiæ* 5.

Malus in ciuitate vicinus, malus ruri auarus. Limites ſuos nouit mare: nox antiquos fines non tranſgreditur: auaro autem nulla eſt temporis obſeruatio. Terminum non agnoſcit, nulli doctrinæ aurem commodat: ſed ignis violentiam imitatur. omnia corripit, omnia depaſcitur. Ex conc. in illud Deſtruã horrea mea.

Quæcunque intuetur oculus, hæc auarus omnia concupiſcit. Nunquam videndi oculus, nunquam rapiendi ſatietate auarus explebitur. nec aliquãdo dixit infernus, ſufficit, nec auarus. Ex cō. habita Lacizis. *Prou.* 30.

At verò quid inde lucri? Vigiliæ, curæ, ſollicitudines. ſiquando vindex expectetur iudex, conſultè cauet is ne in iudicium pertrahatur. Conſilium noctu agitat, quos ex acerbis aduocatus ſubornabit, vt falſa teſtimonia mercede redimat, quomodo abſentem oppugnabit, quomodo hunc opprimet, & ſuppreſſa in iudicio rei veritate, vtrunque conficiet: itáque & fraude iudicem circunueniens, in ſuas totum partes trahat, & quem iam affecit iniuria, creditorem defraudet.

Pecuniarum quidem alias publice tractat, alias

mutat, à frequenti hominum habitatione ſplendidóque ornatu eas habitatoribus vacuas efficiens. Nam qui rebus alienis inhiat, factam ſuarum iacturam paulopoſt lugebit.

Quid in cauſa fuit vt moreretur Naboth Iſraëlita? Nónne vineæ Chaam ardens flagránſque cupiditas? Veniat in mentē eius recordatio diei quando dei reuelabitur ira de cælo. Memineris glorioſi » Chriſti aduentus, quando reſurgent qui bona egerunt » in vitæ: qui verò mala, in damnationis reſur- » rectionem. Hæc te moleſtia afficiant: nec dei te torqueāt præcepta. Quanam te ratione exorabo? quid dicam? Regni cæleſtis comparandi nulla tibi cura eſt, nulla voluntas: Inferni cruciatus nō metuis. Vnde igitur periclitāti animæ conquiratur medicina? etenim ſi horrenda non reformidas, non te flectent ſpecioſa atq; hilaria: cordi verba facimus lapideo. Ex conc. in illud, Deſtruā horrea mea. 3. Reg. 21. Ioan. 5.

Vellem ô auare, paululum ab improbis operibus reſpirares, tuíſque ratiocinationibus, ocij nonnihil impertireris, adeo vt cogitatione comprehendere ac conſequi poſſis, quò parandarum rerum ſtudium ſpectet. Ex conc. ad Diuites.

Habes culti ſoli numeroſa iugera, atque arboribus conſiti totidem montes, campos, ſaltus, fluuios, ſtagna. Quid tum poſtea? Nónne tres te manent cubiti? nónne paucorum lapidū pondus infelicis miſeríque cadaueris cuſtodiæ ſufficiet? Cuinam hæc inique corradis? Quid manibus infructuoſam ſterilitatem atq; inextinguibili perpetuóque igni materiā

coaceruas? Nunquámne ebrietatem istam sobrietate castigabis? nunquámne cogitata emendabis? Ad teipsum non redibis aliquando? Num tuis oculis Christi tandem obuersabitur iudiciū? Quid respondebis cum à te iniuria affectorum circunfusa multitudo ante iustum iudicem cōtra te vociferabitur? Quid facies? quales tibi patronos mercede redimes? quales poteris testes sistere? Quî fiet vt iudici nullis vnquā fraudibus obnoxio valeas obrepere? Nullus ibi inuenitur orator: nulla dicendi vis atq; facultas, quæ verum iudicis indicium peruertere ac supprimere poßit.

Non te assentatores subsequentur, non pecuniæ, non dignitatum fastus: amici nulli, adiutorum minus: omni patrocinio, omni fauore atque defensione destitutus, nullo non dedecore plenus, relinqueris mœstus, vultu meditabundus demisso, nullius societatis particeps, taciturnus.

Quocunque enim oculos conuerteris, expressas videbis tuorum scelerum imagines, hinc orphani lachrymas, illinc viduæ suspiria, alia ex parte pugnis obtusos à te pauperes quos excarnificasti, vicinos quos iritasti. Omnia in te insurgent, & malus tuorum scelerum chorus te stipabit. Nullus est ibi negationi locus, sed liberè & inuerecundè cuncta os omne pronunciabit. Suorum enim quisque facinorum testimonio premetur, quæ vocem illa quidē non edent, talia tamen apparebunt, qualia prius à nobis patrata sunt.

Fugiamus igitur totis viribus grauissimũ auaritiæ vitium: fugiamus, inquam, vt & indicta nobis supplicia vitemus, & æternorum bonorum participes efficiamur, in Christo Iesu domino nostro, cui gloria, & potestas, cũ æterno eius patre, ac sanctiss. & viuificante spiritu, nunc, & semper, & in infinita secula seculorum. Amen.

DE PECCATO, Concio VII.

INGENS quotidie, variúmque dilectissimi, cõtra nos bellũ infert acerrimus ille veritatis hostis. infert, inquam, vt scitis, nostris cõcupiscentijs pro telis contra nos vtens: à nobísque maiorem in dies nos offendendi vim semper assumit.

Ex conc. de nõ ad hærendo rebus huius vitæ.

Et quemadmodum scelerati rapacésque homines quorum vnum opus & studium est, alieno ditescere, desuntque vires quibus aperto Marte inuadant, vias obseruare, in eísque insidiari consueuerunt: & si quem in ipsis locum viderint profundis vallibus præruptum, vel arborũ densitate tenebrosum, hunc subeuntes ibíque se occultantes, talibúsque latebris viatorum prospectum intercludentes, confertim in

ipsos insiliunt, adeo vt vix poßint aliqui prius latentis periculi laqueos videre, quàm in ipsos inciderint: sic infestus ille iam ab omni æuo hostis noster atque aduersarius diabolus, huius seculi voluptatum vmbras subiens, quæ quidem in ipso vitæ itinere occultare latronem insidiatorémq; celare maximè possunt, hinc improuisos nostræ saluti laqueos subtendit.

Ex com. in 31. Psal. *Enimvero quemadmodum ciuitatum mœnia, omnes intus ciues cingentia, vndequaque hostium incursiones abarcent: sic & custodiæ nostræ destinatus Angelus, cōtra ea quæ à fronte & à tergo nos aggrediuntur, præmunit, neque à lateribus vtrinque nos incustoditos relinquit: sed semper excubias agens, domino confidentibus aßidet, nequando ipsum sceleratis nos operibus expellamus.*

Vt enim fumus apes fugat, atque malus odor exterminat colūbas: sic & custodem nostræ vitæ angelum lachrymabile fœtidúmque peccatū extrudit.

Ex conc. in 1. Psal. *Imprimis sanè optandum est, vitium ne attingere quidem: postea autē si attigeris, vt venenati serpentis ictum, effugere. Noui enim quosdam iam ab ineunte ætate in corporis libidines delapsos, ad extremam vsque senectutem quòd vitijs insueuerant, in his perseuerasse. Quemadmodū enim in luto volutati sues, cœno se semper magis obducunt: sic istis voluptatum assuetudo maius in dies probrū ac dedecus inurit.*

Ex Ethico. *Peccatum enim quandiu parturit, pudorē quendam*

dam incutit: vbi autem perfectum est, tum impudentiores eos facit qui commiserunt.

Quandiu enim parum raróque peccamus, leui quadam aura veluti plantæ iactati, aliquantulum agitamur: postquam verò & plura & grauiora mala existunt pro peccatorum incrementi ratione, agitatio etiam intendi atque increscere solet. Atque alij quidem vehementius iactantur. alij autem donec extirpatis radicibus subuersi deijciantur, quando vitiorum afflatus ipsas animæ veluti radices, quibus fide in deum confirmatur nititúrque, omni procella violentius perfregerint. Ex cõ. in lxi. Psal.

Qui enim inuitus ab officio discedit, veniam à domino forte consequatur: qui verò de industria deteriora consectatur, nihil causæ est, quin multo maiores pœnas luat. Peccatorum enim alia quidem non voluntaria sunt, alia autem peruersa animi voluntate & consensu perpetrantur. Aliter igitur quæ non voluntaria sunt, veniam cõsequuntur: & aliter quæ vitiosã ác peruerso animi iudicio fiunt, condemnantur. Ex conc. quæ vtil. ex profa. libr. capi posit.

Siquidem hic forte peccauit, quia ab incunabulis male fuit educatus: à parentibus etenim improbis in hanc vitam inductus, verbis simul ac factis iniquis enutritus assueuit: alter verò cùm multa ipsum ad virtutem inuitent, honestissima grauissimáque educatio, admonitio parentum, diligentia, diuinorum sermonum auditio, ratio viuendi temperantiæ modestiæque norma reformata, cæteráque huiusce-

modi, quibus ad virtutem animus instituitur, nihilominus tamen ipse in idem vitium delabitur. Quomodo igitur qui talis est, non iure censebitur grauioribus supplicijs obnoxius? Ille siquidem accusabitur solummodò, quòd innatis insitísque nostris animus salutaribus notionibus non bene fuerit vsus: hic autem præterea, quòd adhibitũ sibi omne extrinsecus auxilium prodiderit, quódque per negligẽtiam in sceleratam vitam fuerit pertractus.

Ex Asceticis. *Quibúsnam igitur peccatis à* Domino *venia dari consueuit? quot quãtísque sceleribus perpetratis, quispiam contempti violatíque diuini mãdati reus peragitur?* Nec *ex peccatorum multitudine, nec ex cõmissorum magnitudine, sed ex cuiuslibet mãdati vnica violatione manifestò dei contemptus, & in eum perfidiæ reum tenemus.*

Commune *itaque dei iudicium contra eos omnes qui deo non obediunt inuenimus, scripturas sacras dum euoluimus.* Legimus *siquidem in veteri testa-*
Iosue.7. *mento horrendum illum* Acharis *finem, atque eius qui sabbatho ligna collegit, historiam: quorũ vter-*
Num.15. *que nihil vnquam aliud in deum peccasse, nec hominem offendisse vllo prorsus modo reperitur.* Ac *hic quidem ob vnicam primámque lignorum collectionem, nullum pœnitentiæ locum inueniens, inexorabiles pœnas luit: dei etenim mandato statim à populo lapidibus obruitur: ille verò, quia solummodo quidpiam ex donarijs abstulerat, quæ nõdum in cœtum publicúmque importarat, neque qui eius-*

modi procurabant, susceperant, internecionis, non sibi solùm, sed etiam vxori & liberis, tum ipsi etiã tentorio, suis denique omnibus, auctor fuit. Iam verò, propemodum in omnem populum eius facinoris minime conscium, neque ei qui perpetrarat consentiẽtem, ignis instar, peruasura erat illa peccati lues, nisi statim occisorum virorum strage mœrens tristísque pop. iram dei sensisset, procidisśétque in faciem suam vnà cum senioribus Iosue *cinere con-* Iosue 7.
spersus, atque ita per sortem deprehensus huius criminis reus, eas quas diximus pœnas dedisset.

Quid verò Maria Moysis *soror? Illa cum* Moysi Num. 12.
quippiam oblocuta esset, tantum vt quid contrà sentiret indicaret, rémque veram enunciasset: vxorem enim, vt ait scriptura, Æthiopissam duxerat: tantã dei experta est indignationem, vt ipso etiam Mose *suppliciter pro ea obsecrante, sui sceleris pœna liberari haud potuerit.*

Sed istorum quid meminisse necesse est, ipso Mose *præterito, magno illo dei famulo, tot tantísque à deo honoribus cumulato, quíque ab eo tam insigne te-*
" *stimonium tulit, vt de eo diceretur,* Præter cæteros Exod. 33.
" *omnes te noui, & inuenisti gratiam coram me? hic enim ad aquas cõtradictionis, nulla alia de causa, q̃ quòd populo dixisset ob inopiam aquarũ murmu-*
" *rãti, Num ex hac ipsa petra vobis aquas educã: hac,* Num. 20
inquam, sola de causa ipsi minatus est deus, quòd is
" *in promißionis terram ingressurus nõ esset. quod eo tempore summum erat* Iudæis *promißionũ caput.*

Cum igitur videam hunc dum orat pro alio non exaudiri: cum videam ob tot egregia eius facinora, nullam paucis huiuscemodi verbis veniam impe-
Rom. 11. trare potuisse: nonne re vera dei agnosco seueritatē,
" vt Apostoli verbo vtar: nonne etiam illud esse ve-
1. Pet. 4." rū mihi persuadebo, Si iustus vix seruatur, impius & peccator vbi comparebit.

1. Reg. 3. Sed quid de his plura? Heli sacerdos, vitæ alioqui integerrimæ, quia in liberos suos seuerius non animaduertisset, tantam dei patientiæ iram cōcitauit, vt insurgentibus alienigenis, & suos illos vno die filios bello amiserit, fusúsque fuerit omnis populus,
1. Reg. 4. ex quo etiam ceciderunt non pauci: & Archa sa-
5. 6. crosancti dei testamenti ea passa sit quæ nunquam prius audita fuerant: adeo vt quam contingere, neque Israëlitis, neque ipsis etiam sacerdotibus omnibus fas vnquam esset, neque ad eam quiuis è populo admitti soleret, aliò atque aliò ab impijs manibus transportaretur, atque pro sanctuario in idolorum templis reponeretur. Vbicunque comessatio aliqua seu bacchanalia celebranda essent, illuc Archam domini transferebant: ac cōiectare licet, quibus irrisionibus & conuicijs alienigenæ nomen dei tum impetebant.

1. Reg. 3. Præterea & ipsi Heli cum miserando vitæ fine vsus fuisset, minatus est dominus etiam semini eius erepturum se sacerdotalem dignitatem. Quod & accidit: tametsi tum in senis vita nihil vnquam reprehensione dignum auditum fuisset: tum is liberis

suis vt libidinibus acquiescerent haudquaquam siuisset, verùm sæpius commonefecisset, ne posthac eiusmodi vitijs consuescerent. Nequaquam *filij, ait,* 1. Reg. 2.
nequaquam, non boni sunt hi, quos de vobis audio rumores: nihilominus tamen quòd non quē debuerat vindicandi in eos ardorem præstitisset, sibi ac illis ipsíque pop. tantam iram dei accendit.

Atqui reprehensio quidem alium finem spectare non videtur, quàm eius qui peccat emendationem: opprobrium verò dedecúsque, vt qui lapsus est in verecundiam & pudorem adducatur.

Etenim etiam si videatur quispiā præclare permulta fecisse, paucorum verò vel etiā vniuscuiuscunque præcepti negligens fuerit, aut delinquenti quasi sua nihil intersit acquieuerit, neque diligens studium ex dei iudicio adhibuerit, iustas hoc solum nomine pœnas luet. Quòd si etiam imprudens tale quid peccet, neque eo prætextu supplicium effugiet.

Talia profectò quamplurima in omnem inobedientiam iudicia, in veteri testamento reperimus: nec verò his pauciora, nouum legendo dum pergimus, sed & multo hîc seueriorem deprehendimus
» *iudicij acerbitatem, vt illud, Seruus qui domini sui* Luc. 12.
» *nouit voluntatem, nec fecit, multis vapulabit pla-*
» *gis: qui autem non cognouit, & fecit digna plagis, vapulabit paucis. Christo deniq; eum qui peccarit imprudens meritis pœnis non liberante, atq; in eos qui prudentes delinquunt, vehementiores minas*
» *intendente. Et rursum, Cælum, inquit, & terra trāsi-* Matt. 24

» ibunt, verba autem mea non præteribunt. Beatus
2.Co.10. » quoque apostolus Paulus ait, Consilia destruentes,
» & omnem altitudinem extollentē se aduersus scien
» tiam dei, & in captiuitatem redigentes omnem in-
» tellectum in obsequium Christi. Omnem altitudi-
» nem inquit, omnémque intellectum, non hunc, vel
» illum. Et in promptu habentes vlcisci omnem ino-
Roma.1. » bedientiam. Atque alibi rursum, Qui talia agunt,
Rom.2. » digni sunt morte. Et rursum, Qui in lege gloriaris,
» per præuaricationem legis deum inhonoras. Itaque
» nihil apud deum impunitum relinquitur. Si verò
hæc dici solum putes, neque fieri, veniat in mentem
1.Cor.5. is qui in Corintho patris vxorem habens, nullius alterius criminis insimulatus, hac sola de causa nō tantummodò ipse in carnis interitum Satanæ traditur, quousque dignis pœnitētiæ fructibus peccatum emendasset: sed & vniuersa simul ecclesia, quòd in peccatum non animaduertisset, eiusdem accusationis crimine implicatur.

Act.5. Quid verò Ananias ille de quo in Actis Apostolorum, quid aliud egisse fertur, quàm illud ipsum? vbi nunc quæso tanta ira dignum apparet? Agrum suum cum vendidisset, pecunias detulit ad pedes Apostolorum, subtracta aliqua precij parte: atque ob id hac ipsa hora vnà cum vxore morti adiudicatur, neque dignus habitus est qui pœnitendi rationem disceret: quin ne deplorandi quidem peccati atque resipiscendi quicquam temporis & loci est illi relictum.

Huius verò talis ac tanti iudicij minister beatus Petrus inter cæteros discipulos in primis eximius ac præcipuus, quique pluribus quàm alij testimonijs comprobatus beatiórque habitus, cuíque regni cælorum sunt commissæ claues, cum id à domino audierit, Nisi lauero te non habebis partem mecũ, cuinam cordi etiam quamlibet saxeo, metum non incutiet egregiorum dei facinorum? præsertim cum ille ne vnius quidem peccati contemptúsque speciem præbuerit: quin potius omni dominum fuerit honore prosecutus, & conuenientem seruo ac discipulo obseruationem pietatémque exhibuerit. Matt. 16. Ioan. 13.

Cùm enim vidisset suum omniúmque dominum, & deum, & regem, & seruatorem, simúlque omnia in serui habitu, linteo præcinctum, suósque pedes lauare volentem, confestim suæ veluti indignitatis cõscius, & accedentis dignitate obstupefactus, exclamauit, Domine, tu mihi lauas pedes? Et rursum, Non mihi lauabis pedes in æternum, ob id minas eiusmodi audit, nisi celeritate atque parendi ardore, quam repugnans culpam contraxerat, à se nõ dimouisset, nullam se vnquam à domino beatitudinem, nulla dona, nullásque promißiones fuisse consecuturum. Neq; ipsa ipsius dei & patris talis támque propensæ in filium volũtatis reuelatio, satis esse potuisset ad huius inobedientiæ mitigationem. Ioan. 13.

Verum enimuero hæc omnia si enumerare velim, quæ tum ex veteri, tum è nouo testamento mihi succurrunt, narrãti potius dies defecerit, Cæterũ illud

solum nunc in memoriam reuocabo, quod in magna illa & horrenda iudicij die, stantibus à sinistris
Mat.25 » *domini nostri* Iesu Christi *ab ipso dictũ est*, Discite
» *à me maledicti in ignem æternũ præparatum*
» *diabolo & angelis eius: non quòd homicidæ fueritis, scortatores, mendaces, aut quòd aliquem iniuria affeceritis, aut aliud quidpiam vel etiam minimum eorum quæ lege vetita sunt, feceritis: sed quòd bonorum operũ nulla vobis cura fuerit.* Esuriui *enim,*
» *ait, & non dedistis mihi manducare: sitiui, & non*
» *dedistis mihi potum: infirmus fui & in carcere, &*
» *non visitastis me.*

Qui *igitur mollitie non diffluxit, neque à temperantia deflexit, is profectò omnes peccandi rationes sedulo deuitauit.* At *si plurima quidem effugit, ab vno verò superatus est, non temperans ille est, vt neque sanus qui vel vnico corporis morbo conturbatur: neque liber, qui vni vel cuiuis è populo paret.*

Ex cõm. in Esaiã. His *quidem certe qui leuiter sanabiliáque peccant, in virga iniquitates ipsorum atque in flagellis peccata visitatum iri, scriptura minitatur: ijs autẽ*
Psal.88 » *qui grauiter insanabiliáque, ait,* Quid *amplius*
» *plagis afficimini, qui ad omnes induruistis?* Omnia
Hier. 5. » *neglexistis verbera, in vestram emendationem vo-*
» *bis inflicta: funditus delebimini.* Calamitatum *autem quædam, peccatorum causa incidunt: quædam verò in eorum qui tentantur morum emendationẽ:* Aliæ *denique vt penitus euertantur vitæ homines*

flagitiosæ desperatæque, vt in Pharaone est cernere. His enim non amplius verbera, nō plagas, sed perpetuum interitū comminatur dominus, Quid adhuc verberibus affligimini, cum & corpora vestra & animi toties vapulauerint, neque vnquam resipueritis?

Est autem sæpenumero non inutilis ægrotatio, quando peccanti frænos adhibitura est: noxia quoque bona valetudo, quando illi qui ea præditus est, occasionem viámque præbet ad peccandum. Sic & diuitiæ nonnullis sæpius ad intemperantiam ministræ extiterunt: & paupertas multos qui cæco quodam impetu ad malum ferebantur, ad continētiam modestiámque reuocauit. Tu igitur ne fugias ea quæ fugienda non sunt, neque ad quem minime decet, confugias: sed vnum tibi sit peccatum fugiendum, vnicum quoque à malis perfugium deus. Ex cō. in xlv. Psal.

Hominum certe maior pars, antecedentium etiā peccatorum obliuiscuntur, de his nihil prorsus soliciti, eáque non aliter contemnentes ac si nulla vnquam futura esset vltio: cui autem semper dei iudicium ob oculos versatur, quíque persuasum habet, quòd omnes sistemur pro tribunali Christi, vt ferat quisque quæ corpore gessit siue bonū siue malum, is anxio semper animo est, eúmque ipsum animi angorē sedare meditans se ipse confessione apud deum accusat, vt ille ait, Dolor meus contra me est semper. Ex cō. in xxxvii. Psalm. 2. Cor. 5. Rom. 14. Hierem. 6

Multi verò prauis operib⁹ relictis, antiqua facta,

veluti memoria apud se continentes, sopitam quiescentémque improbitatē hac exuscitāt renouántq;.

Ex Ethicis. Recōdita enim improbitas, subputridus laténsq; in anima est morbus.

Ex com. in Esaiā. Cæterum suæ libidini peccatores relinquuntur, cùm à deo deseruntur. De ijs enim quorum deus curam gerit, scriptura inquit, Non deseram neque derelinquam te: de ijs verò qui omnino deplorati sunt, corporis animíq; libidinibus permittit indulgere, vtpote quibus nulla vnquam disciplina, nulláque castigatio vtilitatis quidpiam emendationísque sit allatura.

Iosue.1.

Hebr.13.

Quoniam enim vulnus, cicatricem, inflammatámque plagam, peccatum superat, non licet huic vt plagæ medicamentum adhibere quod emolliat, neq; oleum vt vulneribus, nílq; prorsus ab his auxilij peti potest. grauiora enim huc concurrerunt, quàm vt his medicamentis amoliri queant.

Itaque quoniam omne hominum genus peccatis obnoxium est, propterea, & in omnes sæpenumero punitio peruasit, omniúmq; animos, tracto ob peccata in duram seruitutem populo, sæuus occupauit dolor.

Quemadmodū igitur in ægroto, sectione si vtendum sit, aut cauteriū adhibendum, non est in causa medicus, at ipse morbus: sic & ciuitatum euersiones ab innumera peccatorum multitudine principium ducentes, efficiunt vt de deo iure conqueri minime liceat.

Per paucos enim etiam mala in multos grassantur, & vnius aliquando totus populus improbitatē luit. Sacrilegium commisit Achar, statímque vniuersa acies cæsa est. Zambre cum Madianitidibus fornicatus est, atque Israël pœnas dedit.

Ex conc. habita in fame & siccit. *Iosue 7. Num. 25.*

Ac vt pestis cùm in hominem vel pecudem inuasit, contagione etiam in omnes vicinos serpere solet: sic & iniquitatis operarij, quod in se est peculiare vitium, in omnes deriuare contendunt, multos sibi similes fieri magno studio affectantes, vt vitiorum societate à probris vindicentur, atq; mutua morbi communicatione simul laborent, simúlque pereant.

Ex cōm. in 1. psal.

Fieri enim non potest quin ignis si aridam materiam & quæ facile flagret, attigerit, eam peruagetur, vento præsertim flammam eò secum rapiente: neque peccatum cùm sua labe quempiam infecerit, ita intercludi potest, quin ad omnes qui vicini sunt, incendentibus ipsum improbitatis spiritibus, peruadat.

Corporis siquidem actiones tempore indigent, & opportunitate, laboribúsque, adiutoribus etiam, reliquo denique subsidio: cogitationis verò ingeniique motus, sine tempore fiunt, sine labore perficiuntur, nullo negocio concinnantur, nullum non tempus illis opportunum existit.

Ex conc. in illud, Attende tibi ipse.

Et fortasse quispiam superborum, seuerique supercilij hominum temperantiæ specie fucóque extrinsecus circunseptus, sedens frequenter medius inter eos qui ob virtutem beatum illum prædicant, in

quandam peccati imaginem cogitatione incurrit: in occulto animi imaginatione sibi informauit ea quæ præcipuè affectabat, congressum quendam minime decentem effinxit: denique cum in abstrusa cordis officina, manifestam sibi voluptatem depinxisset, peccatum nullo conscio intus commisit.

Peccatorum enim maior pars in ea animi appetitione absoluitur, quæ nobis placet & arridet. Quoniã corporis quidẽ actiones multis sæpenumero impediuntur: qui verò consultò peccat, vnà cum cogitationum celeritate, peccatum quoque adimplet.

Ex conc. ad Diuites. *Vt enim corpus vmbra sequitur, ita animam peccata, ipsas etiam actiones expresse effingentia.*

Ex cõ. in Esaiam. *Perfectum igitur vitium est, & animo & operibus delinquere. Eius autem dimidium est in ipso cogitationis impetu peccatum sistere. Non igitur est prorsus ab vltione & supplicio liber is qui cogitatione peccat: sed quãtum abest peccatum quin perficiat, tantum illi pœnarum remittetur.*

Ex Asceticis. *De eo autem qui in fratrum cœtum ascriptus est, deinde à sua professione desciuit, sic censendum est, vt de eo qui in deum peccauit, in quo, & per quem suæ professionis pacta se esse obseruaturum recepit.*

1. Reg. 2. *Si verò in deum peccauerit quispiam, vt scriptum est, ecquis pro eo orabit?*

Qui enim seipsum deo deuouerit, deinde petulãtia quadam in aliud vitæ genus resilierit, sacrilegio se obstrinxit, seipse furto substrahens, deique donarium eripiens. Quibus quidem valde consenta-

neum est fratrum ianuam non amplius patere, ne quidem si per tenuem tetricúmq; tramitem, celandi sui erroris gratia, accederet. Apostolica siquidem re ,, gula apertè iubet nos ab omni inordinato secedere, ,, neque cum eo commisceri, vt in viam redeat ac con ,, uertatur. 2. Thess.3

Sic enim à principio absque spinis rosa nascebatur: postea autem ad floris pulchritudinem spinæ adiunctæ sunt, vt dum eius oblectatione fruimur, adiacentem illi tristitiam sentiamus, peccati recordatione, ob quod spinas & tribulos nobis producere terra iussa est. Gen.3.

Sed innata nobis affectionum deprauatio propter ignorationem dei, improbam nostris animis cognitionem inseuit. Ex Asceticis.

Siquidem magnus ille athleta Iob, cùm omnis generis tentationes sustinuisset, vnde id sibi accideret ,, non ignorabat. quapropter dicebat: Sagittæ enim ,, domini in corpore meo sunt, quarum furor sanguinem ,, meum ebibit. Dauid verò animi morbo cum laboraret, se ipse vlciscebatur atque affligebat, variéque confitendo, omni se pœnarum generi subijciebat. ,, Quoniam enim sagittæ tuæ infixæ sunt mi- ,, hi, inquit, & confirmasti super me manũ tuam, non ,, est sanitas in carne mea à facie iræ tuæ, non est pax ,, ossibus meis à facie peccatorum meorum. Atque hæ de quibus hîc fit mentio, sagittæ sermonis esse mihi videntur: imò verò ipsi dei sermones, qui Dauidis mentem pungebant vulnerabántque, eiúsque con- Ex cõ. in xxxvii. Psalm. Iob.6. Psal.37.

scientiam vlciscebātur ac puniebant, quia cum tantus vir esset, tótque beneficijs ornatus à deo, turpi se flagitio contaminauisset.

Quoniam enim inermis deprehensus, ignitis telis diaboli non obstitit, accepta meritò in animo plaga, concupiscendi libidine victus est. Vt verò diaboli sagittas, quæ erant vlcera per totum Iob corpus serpentia, quia deo id permittente fiebat, sagittas do-

Iob 6. " mini ipse nominauit, inquiens, Sagittæ enim domi-
" ni in corpore meo sunt, quarum furor sanguinem
Psal.37." meum ebibit: sic Dauidem verisimile hic domini sagittas dixisse, quia sinente domino eum astutia bellica superasset aduersarius, vt inde dedisceret in po-
Psal.29." sterum dicere, Non mouebor in æternum.

Postquam enim dono dei gratuito viribus auctior factus adeo magnifice insolentérque de se sen-
Psal.29." tiret, ac proferre auderet, Ego verò dixi in abundan
" tia mea, non mouebor in æternum: huius rei causa meritò tentatori est traditus, qui animam eius cum inuasisset, maioribus eum quàm ipsum Iob detrimentis affecit.

Videntur autem mihi tres hæ affectuum esse differentiæ, quibus ad obediendum Christo homines necessitate compelluntur: seruorum, mercenariorū, filiorum. Aut enim vltionis metu à vitijs abstinemus, atque tum seruilem induimus affectum: aut lucra quæ ex mercede proueniūt consectantes, vtilitatis nostræ gratia perficimus ea quæ imperata sunt, atque in eo mercenarijs aßimilamur: aut quia

honestum est & bonum, quiáque charitate comple ctimur eum qui nobis legem dedit, summo gaudio perfusi quòd digni habiti fuerimus qui tam glorioso optimóque deo seruiremus, atque sic in filiorum sorte sumus.

Neque igitur qui metu præcepta obseruat, veritus eam quæ segnibus & ignauis indicta est, pœnã, ex his quæ præscripta sunt, hæc quidem faciet, illa negliget: sed vindictam quæ ob quamlibet inobedientiam sumitur, sibi ex æquo metuendam esse ducet. Ideóque beatus iudicatur, quòd nihil eorũ quæ
» *facere oportebat, cõtemnere voluerit. Beatus enim,* Psal. 111.
» *ait, vir qui timet dominum. Ad quid? Quia in man*
» *datis eius volet nimis.*

Sed neque mercenarius quicquam eorum quæ præscripta sunt, præterire volet. quomodo enim sui laboris atque operæ mercedem reportabit, si omnia de quibus pacto conuenit, non confecerit? Etenim si vel vnum ex necessarijs omiserit, anteactorum laborem irritum reddidit. Quis igitur integro adhuc damno, mercedem persoluet ei qui illud dedit?

Tertio erat loco illa quæ ex amore prodit obseruantia. Quisnam filius, quæso, patri obsequi & placere summopere studẽs, cùm maioribus & præstantioribus seipsum oblectet, leuissimarum rerum gratia velit angi?

Qui igitur plurima præcepta violant, quo in numero haberi volunt? cum neque deo vt patri obsequantur, neque vt magna pollicito morem gerant,

neque vt domino seruiant. Quomodo verò antepo-sita legibus obtēperanti libidinosa vita nobis vendicabimus tum vitæ beatitudinem, tum æqualem cum sanctis conuersationem, tum denique perpetua cum angelis in conspectu Christi gaudia? Stultæ proculdubio mentis hæc sunt omnia. Qui associabor Iob, cum ne leuissimam quidem afflictionem cū gratiarum actione vnquam sustinuerim? Quomodo Dauidi, cùm erga hostem patienti constantiq; animo nunquam affectus fuerim? Quomodo cum Daniele ero, cùm neque temperantia continua, neque alacribus sedulísque precibus deum exquisiuerim? Quomodo cum sanctorum vnoquoque, cùm horum vestigijs non sim ingressus?

Quis adeò sine iudicio est certaminum iudex, vt parem victori, atque ei qui non certauit, coronam decernat? Quis imperator eos qui victoriam pepererunt, ac eos qui ne prælio quidem interfuerūt, ad æqualem spoliorum portionem vocauerit?

At enim bonus est deus? est, verum iustus quoq;. Iusti verò est, vnumquemq;, vt meruit remunerari,
Ps. 124. » *sicut scriptum est: Bene fac domine bonis. declinantes autem in obliquationes abducet dominus cum operantibus iniquitatem. Misericors ne? quinetiam*
Psal. 81 » *& iudex. Misericordiam enim & iudicium diligit*
& 100 » *dominus. Intelligísne in quos misericordia vtetur?*
» *Beati, inquit, misericordes, quia ipsi misericordiam*
Matt. 5. » *consequentur. Vides quomodo vtiliter misericordia vsus est, neque sine delectu & iudicio miserescens,*

neque ſine miſericordia iudicans? Miſericors enim dominus, & iuſtus. Ne igitur dominum imperfectè agnoſcamus, neque ipſius humanitate in ignauiæ occaſionem abutamur. ob id tonitrua, ob id fulgura, ne eius contemnatur bonitas. qui ſolem oriri facit, idem cæcitatem cõdemnat: qui imbrẽ immittit, ignem quoque pluit. Illa bonitatis quidem ſunt, hæc ſeueritatis. An propterea amabimus, ne & nobis
» *dicatur, An diuitias bonitatis eius & longanimita-* *Rom. 2.*
» *tis contemnis? ignorans quòd bonitas dei ad pœni-*
» *tentiam te adducit: ſecundum verò duritiem tuam*
» *& impœnitens cor theſaurizas tibi iram in die iræ?*

Quænã mihi ex alijs rectè factis vtilitas, ſi, quia *Matth. 5.* *fratrem ſtultum appellauero, gehennæ futurus ſim obnoxius? Quid mihi proderit à multis libertas, ſi*
» *ab vno in ſeruitutem redigor? Qui enim facit pec-* *Ioan. 8.*
» *catum, inquit, ſeruus eſt peccati. Quid verò lucri facit is qui multis morbis non obnoxius eſt, ſi eius corpus vno morbo conſumitur? Qui enim voluntatem dei facit, ſed non eo quo vult deus modo, neque pietate erga deum adductus, fruſtra laborat. nã ait,*
» *Amen dico vobis, quia receperunt mercedem ſuam.* *Matth. 6*

Itaque ſi tui ipſius ortus, ô homo, non meminiſti, à deiecto pro te illo dignitatis ſplendore, aliqua ſaltem ex parte illud benemeritum recognoſce: reſpice quo precio ſis redemptus. honoris gradum cognoſce, ne tu precioſo dei ſanguine redemptus, peccati ſeruus efficiaris. Quæ tua ſit dignitas intellige, ne inſipientibus beſtijs compareris. Ex cõ in xxxviii. Pſalm. *Pſal. 48.*

Qui enim fiet seruis vt bene imperetis, cùm ipsi stultis perniciosísque concupiscentijs veluti mancipia seruiatis? Quomodo liberos vestros rectè instituetis, cùm ipsi vecordè & sine ordine vitã degatis?

1.Cor., » *Vt enim mihi imposita est necessitas, & væ mihi*
» *est, vt ait Apostolus, nisi euangelizauero, & iusti-*
» *tiam dei noctè diéque vobis annunciaro: ita etiam vos, si ad eorum custodiam quæ vobis tradita sunt, & ad eam quæ operibus constat perfectionẽ ignauos, molles, ac remissos vos præstiteritis, par certa-*
Ioan.12 » *men propositum est quod decertetis. Sermo enim quẽ*
» *locutus sum, ait dominus, ille iudicabit mundum in*
» *extrema die.*

Semper enim quod bonum est cupiens, ab eóque semper aberrans, nihil aliud habeo de factis meis cogitare, quàm certò credere, me veterum peccatorum pœnas tandem aliquando daturum.

Vt igitur non ignoramus diuinæ scripturæ sermones, ante tribunal Christi nostris oculis propositos iri: sic etiam ad ea quæ dicta sunt, summa cum vigilantia attendamus, atque operibus illustrare diuina præcepta accuratè pergamus, quia qua die
Luc.12. *& hora dominus noster venturus sit, nobis plane est incertum. Cui quidem gloria, & potestas, in secula seculorum. Amen.*

DE POENITENTIA, Concio VIII.

CVM de te quid mihi statuendum sit, cogito, duplex animo meo metus incumbit: aut enim si nulla miseratione motus, iam ab initio seueriorē me exhibuero, in inhumanitatis reprehensionem incidam: aut rursum tuis malis ingemiscere si velim, hísque molliri mouerique me sinam, longe aliter quàm debeo sum affectus. Quapropter istud meū scriptum cùm etiā exaraturus essem, stupidam quidem certè ac torpescentem manum ratiocinationibus confirmaui: vultum verò è contracta propter te tristitia dubiū & anxium mutare non valui, cùm tantus mihi adesset pudor, vt oris etiam mei complicatio, labijs in luctum conuersis, statim deciderit. Ex conc. ad monachū lapſ.

Hei mihi, quid dicā? aut quid excusationis prætexam, in ipso progressus limine interceptus? Si recordari me contigerit prioris tuæ illius inconsideratæ viuendi rationis, cùm tibi vndequaque affluebant diuitiæ, ac inanis humíque repens gloriola, horresco: cùm assentatorum te sequebatur multitudo, & breui temporariáque voluptate non absque euidenti periculo & iniuria fruebaris: atque hinc superior metus tuam agitabat salutis

cogitationem: illinc popularium obturbationes tuã exagitabant domũ: tandémque malorum aßiduitas & conſcientia tuam mentem ei mancipabat ac addicebat qui tibi ſuccurrere poterat: quando paulatim de tuo ſeruatore ſuſpiciendo cogitabas, qui quidẽ in tuam vtilitatem timores iniecit, liberauit verò & protexit te ſibi nimis licenter illudentem: quando honeſtiorum grauiorúmque morum mutatione teipſum exercebas, periculoſam tuarum opum abundantiam improbans atque abijciens, reíque familiaris curam, & vxoris congreſſum reſpuens, totus rerum ſublimium meditationi intẽtus, agris & ciuitatibus peragratis, Hieroſolymam *peregrinorum & erronum more curſu petebas: vbi cum accidiſſet me tecum verſari, athleticos tuos labores beatos iudicabam, cum recurrentibus hebdomadibus in ieiunio perſeuerans diuinis rebus vacabas, hominum quoque conſuetudinem ceßim ſubterfugiens, ac tranquillitatẽ tibi comparans, ciuiles tumultus deuitabas.* Cilicio *autem aſpero corpus tuũ vellicans, prædura̛que zona lumbos perſtringens, tua fortiter oſſa conterebas. Ilia verò inedia extenuans, ad medullas vſque exhauriebas. Ac faſciarum quidem mollium vſum reijciebas: intrinſecus autem abdomen, acſi cucurbitulam contraheres, renibus adhæreſcere cogebas, omníque carnis adipe detracto, imi ventris proluuiem quaſique cloacam penitus deſiccabas, & ieiunijs complicata obductáque rugis aluo, vmbilicum lateri-*

bus, vt tecti eminentia quadā obumbrabas. Deniq; toto corpore contracto, nocturnis horis deo ipse cōfitēs, aßiduitate lachrymarum riuis ita genas excauabas, vt nusquā emineret. At quid me singula perstringere & enumerare necesse est? Memineris quot ora sanctorum osculo salutasti, quot sacra corpora cōplexus es, quot viri manus tuas vt immaculatas, circunfouerūt: quot dei famuli penè adoraturi adcurrerunt, genua tua amplectētes, atq; horum, quis finis tandem? criminis adulterij rumor sagitta velocius peruolans, nostras aures vulnerat, fortiori stimulo viscera nostra pungens. Quæ tantæ támque artificiosæ incantatoris præstigiæ in tam perniciosas támque implicitas errore vias te deduxerunt? Quæ tam nodosa diaboli retia adeo te astrinxerunt, vt instabilitatis ipsius virtutis actiones arguerent ac conuincerent? Quò mihi tuorum laborum narrationes abierunt? Numnam his adhibenda fides non est? Quidni ex ijs quæ palàm cernimus, ea quoque quæ interim abscondita sunt vera esse credamus, si eos qui ad dominum confugiunt, horrendis sacramentis obstrinxisti, cùm in affirmando vel negan-
„ do, Est est, non non, sermo noster esse debeat, ac quic- *Matth. 5.*
„ quid his amplius est, ipsi diabolo tribuatur? Tu igitur finium iurisiurandi male seruatorum & sponsor extitisti, & violato vitæ monasticæ charactere, ad apostolos vsque ipsúmque dominum, turpitudinis tuæ sordes transmisisti.

Castitatis gloriationem fœdißimo dedecore affe-

cisti, temperantiæ votum quod feceras, irrisisti, captiuorum facti fuimus tragœdia, Iudæorũ & gentilium scenis nostra agitantur spectantúrque facta: Monachis gloriãdi materiam præripuisti: diligentiores cautioresque in terrorem & metum adduxisti, tantis diaboli viribus obstupescentes: infirmiores verò ac in eo vitæ genere minime confirmatos, ad exemplum intemperantiæ sequendum traduxisti.

Imminuisti, quoad per te fieri potuit, Christi glo-
Ioan.16 „ *riationem dicentis, Confidite, Ego vici mundum, &*
„ *eius principem. Infamiæ craterem tuæ patriæ propinasti. vetus profecto in te prouerbium expertus es, Quasi ceruus in iecore vulneratus.*

At nunc quid? non prorsus corruit fortitudinis turris, ô frater, non explosa sunt resipiscentiæ remedia, non clausa est perfugij ciuitas. Ne in profundo tuorum vitiorum gurgite diutius maneas, ne teipsum committas homicidæ: prostratos erigere nouit dominus. Ne longe aufugias, sed ad nos recurre: strenuos & iuueniles labores rursum assume, rectè factorum iteratione abiectæ ridiculæque voluptatis maculas eluens. Respice ad mortis diem, qui nostræ vitæ proxime instat. Atque tibi persuade futurum, vt exemplo tuo Iudæi atque Gentiles ad verum dei cultum compellantur. Neque omnino huius mundi seruatorem abnegabis, ne tu horrendissima illa con-
Mat.25 „ *cludaris sententia, Nescio vos.*

Exadhor *Ad vnius quidem hominis Ioannis concionem,*

pœnitentiā egerunt omnes:tu verò à prophetis edo- tatione ad bapti.
" *ctus,Lauamini,mundi estote:per psalmos admoni-* *Esaiæ.1.*
" *tus,Accedite ad ipsum & illuminamini : ab Apo-* *Psal.33.*
" *stolis euangelio excitatus, Pœnitentiam agite, &* *Act.2.*
" *baptizetur vnusquisque vestrum in nomine domi-*
" *ni Iesu in remissionem peccatorum,& spiritus san-*
" *cti promissionem accipietis:ab ipso domino benigne*
" *exceptus inquiente, Venite ad me omnes qui labo-* *Matt.11*
" *ratis & onerati estis,& ego reficiam vos,cunctaris & deliberantium more hæsitas, ac in aliud tempus differs?Iam ab ipsa infantia sermone diuino instructus,veritati nondum te adiunxisti? Semper addiscens,neque adhuc cognitionem consecutus es? toto æuo tentator,ad senectutem vsque speculator?*

Quando Christianus fies? quando te vt nostrum agnoscemus? Superiori anno hoc tempus expectabas:nunc rursus opperiris futurum. Vide ne lõgius quàm victurus sis,quod polliceris differas. Nescis quid crastinus vesper vehat.Ne non tua pollicearis. Ad vitam te vocamus ô homo,quid vocationem fugis?Ad bonorum societatem & communicationem, quid gratuita dona præteris ac contemnis?

Regnum cælorum apertum est, verax est is qui vocat,haud difficilis via:non tempore, nõ sumptu, non negociatione est opus:quid moraris?quid timidus te subducis? quid indomitæ in morem iuuencæ iugum metuis?nõ conterit ceruicem, sed coronat & honore afficit. Non enim collo vincula iugalia circundantur:volens subeat qui accedit oportet.Nõne

vides accusari Ephraim vt iritatā & insaniētē iuuencā, quòd indecenter circumuagetur, legis iugum dedecore afficiens? Indomitam tuam ceruicem suppone: Christi iumentum efficiaris, ne iugi vinculis solutus, neque adepta vitæ libertate, ipsis belluis tui inuadendi copiam facias.

Si ecclesiæ cœtuíque aurum erogem, non mihi dixeris, cras adero, & cras dabis: sed distributionem vrgebis: quam si distulerim, iniquo animo feres. Quando verò non elegantem materiæ colorem, sed animi sinceritatem summus ille bonorum dator tibi offert, excusationes effingis, causásque enumeras? Si hominum quorundam seruus sis, seruis verò proponatur libertas, nonne stato die occurreris, vt patronos conducas, atque prece à iudicibus id impetres, in manumittendorum numerum vt ascribaris? an non colaphum, quæ seruis postrema futura essent verbera, vt à cæteris deinceps alijs flagris liberareris, libenter admitteres?

Quando verò te nō hominum, sed peccati seruum ad libertatem vocat præco, vt te captiuitate liberet, angelorúmque consortem efficiat, téque filium quidem dei faciat adoptione per gratiam, hæredem verò bonorum Christi: nondum tempus esse ais quæ data sunt accipiendi?

O importuna impedimenta, ô turpem nunquámque expediendam occupationem. Quādiu tandem voluptates? quandiu tandem deliciæ? Satis diu mundo viximus: nobis etiam viuamus in posterū. Quid

cum anima comparabis? quo precio cælorum regnum rependi potest? Quis fide dignior tibi consultor, quàm ipse deus? quis sapiente prudentior? quis illo qui perfectè bonus est, magis vtilis? quis creatore familiarior amiciórque? Ipsi etiam Euæ minimè profuit, plus fidei serpentis consilijs adhibuisse, quàm dei dominíque. O sermonis absurditatem: sanari non mihi per ocium licet, nondum mihi ostenderis lumen, ne me cum rege coniungas. Nónne hæc ferè loqueris? imò verò his magis temeraria multóque inconsideratiora.

Tu autem si ærario debitor sis, nouarũ verò tabularũ confectio debitoribus edicatur, deinde quispiã vi conetur te huius beneficij expertẽ facere, ægre tuleris, & acclamaueris ac si ea quæ ad te attinet cõmunis gratiæ pars tibi esset erepta: quando verò nõ solùm præteritorũ remißio, sed & futurorum condonatio proclamata est, ipse tibi quam ne inimicus quidem imprecaretur, iniuriam inferens, censes conuenienter te tibi consuluisse, atque de tuo commodo non ignauiter cogitasse, qui tuorum debitorum veniam recusaueris, atque horum multitudine obrutus moriaris.

Si certè maximus tuorum peccatorum est nume-
» rus, ne propter multitudinem animum deijcias. Vbi Rom. 5.
» enim abundauit peccatum, ibi superabundauit &
» gratia, si eam non recusas. sin pauca exiguáque, neque ad mortem tua sunt peccata, quid futurum metuis, qui in præteritis non instrenuè te gesßisti? Nunc

veluti in trutina animam tuam, ô homo, appendi existima, hinc ab angelis, illinc à dæmonibus distractam: in quam igitur partem tunc inclinabis? Quid apud te vincet? corporísne voluptas, an animi sanctimonia? præsentium oblectamentum, an futurorũ desiderium? Angeli te excipient, an ij quorum in castris militas te retinebunt? Duces belli suis in acie militibus dant tesseram, vt & qui amici & commilitones sunt, facilè se mutuò vocẽt, & si permistè cum hostibus implicentur, ab alijs alij facile discernantur ac seiungantur. Nemo agnoscet nostérne sis, an aduersariorum, nisi mysticis symbolis, quarum sis partium ostendas: si vultus domini lumine non sis insignitus, quî fiet vt te vendicare poßit angelus? quî verò à te hostem depellet, nisi signum agnoscat? Quomodo dicere audebit, Dei ego sum, eius in te non habens insignia? Non obsignatus thesaurus facilè furibus patet: oui quoque non notatæ, nullo periculo insidiæ parantur.

Si quis medicus profiteretur ac polliceretur artibus quibusdam senem te iuuenilibus annis restituturum, nonne summo illius diei desiderio tenereris, quo te constanti ætati redditum cerneres? Cum verò effecturam se pœnitentia polliceatur, vt animus tuus quẽ vetustate confecisti, quémque sceleribus rugosum & commaculatum exhibuisti, repullulet & reflorescat, beneficiũ respuis, & ad promissum non adcurris? Non percupis videre quodnã ingens illud pollicitationis miraculum? quomodo

sine matre regeneratur homo, quomodo senio confectus & vitiorum libidinibus perditus, viget rursum ac repubescit, atq; in verum iuuentutis florem reuertitur? Tot tantísque bonis, ô miser, anteponis voluptatem? tuam enim dilationem intelligentiam si verbis eam ornes & contegas: ipsæ clamant seséq; produnt res, licet tu obmutescas. Sine, corpore abutar, obscœnis voluptatibus indulgens: earum ego in cœno volutabor: manus meas cæde polluam: rapiã aliena, dolose me geram, peierabo, mentiar: túmque pœnitebit, cùm vitiorum tandem finem fecero.

Si igitur peccatum bonum est, illud in finem vsq; tibi asserua: sin ei qui admisit, noxiũ est, quid diutius perniciosis tibi rebus immoraris? Nonne quæcunque fiunt, deus videt? Nonne cogitationes tuas
» *intelligit? Improbitatémne tuam adiuuat? Existi-*
» *masti enim iniquè, ait, quòd ero tui similis.*

Tu autem cum in comparanda mortalium cuiuspiam amicitia laboras, beneficijs ipsum allicis, illa tum dicens, tum faciens quæ ipsi iucunda atque grata fore præsenseris: deo verò domesticus & familiaris factus, sperãnsq; te in filij ordinem assumptum iri, quæ deo sunt inimica peragens, & legis præuaricatione ipsum dedecore afficiens, quibus maximè offendis, his te beneuolentiam conciliaturum speras? vide ne redemptionis spe, contracto ingenti vitiorũ aceruo, peccata quidem tibi accumules, veniæ autẽ impetrãdæ expectatione frustreris.

» *Naso minime suspenditur deus: gratiam ne mer-* Gal. 6.

ceris. Ne dixeris, Bona *quidem lex est, sed suauius peccatum. voluptas, diaboli est hamus, ad interitũ*
1. Cor. 15. *trahens. voluptas, peccati mater: peccatũ verò, mortis est stimulus. voluptas perpetui vermis nutrix, quæ ad tempus eum qui hac fruitur, demulcet quidem, postea verò amarioris bilis succum diffundit.*

Quid agis ô homo? quando operari tibi per vires datur, iuuentutem tuam sceleribus exhauris: cum verò defatigata sunt membra, túne illa tum deo offerre audes? quãdo, inquam, nullus horum tibi vsus esse potest, sed hæc iacere prostratáq; esse necesse est, ob tabem, tẽporis diuturnitate contractam, soluta remissáque virium intentione. Temperantia *in senectute, non temperantia est, sed lasciuiendi impotentia.* Non *coronatur mortuus: neque quia ad vitium est impotens quispiam, ob id iustus censetur.* Dum *tibi vires adsunt, peccatis ratione impera: nã declinare à malo rectéque agere, ea demum vera est virtus: male autem non agere, neque laudem per se, neque pœnam meretur.* Si *per ætatis imbecillitatẽ, peccare desinis, habenda est imbecillitati gratia. Laudamus autem eos qui ex instituto propositóque, non qui necessitate quadam coacti, boni sunt.* At *verò quis vitæ tibi terminum præfixit? quis tibi præscriptum senectutis tempus definiuit? quis adeo fide dignus apud te futurorum sponsor?* Nonne *vides lactantibus adhuc eripi vitam? nonne etiam adultis? nullum habet certum limitem vita.* Quid *expectas vt tibi febris munere donóque pœnitentia detur?*

quando de peccatis confitenti verba deficient salutaria: neque fortasse tum clarè audiendi sensus dabitur, ipso nempe caput obsidente morbo: non manus in cælum tollere, non te in pedes erigere, non ad adorationem genu flectere, non commode doceri, nō tute confiteri, non credere in deum, non reconciliari aduersario: forte verò neque intelligenter ea exaudire quibus mysticis verbis initiaberis, adeo vt his qui adstant, incertum sit, gratiám ne, an eorum omnium quæ facta sunt, nihil omnino senseris. vt verò gratiam quoque prudenter apprehenderis, talĕtum quidem habes, at lucrum ex eo minime profers.

Ad nocendum fratres, vafer callidúsque est diabolus: perspicit nos homines pro re præsenti viuere, omnémque nos nostram actionem ad id quod præsens est, instituere. Hodiernum *igitur diem nobis ex insidijs suffuratus, crastini spem proponit.* Nonne *enim peccare hodie nos admonet? rectè verò facere in crastinum reijcere suadet?* Deinde *postquam crastinus illuxit dies, redit noster iniquus partiarius, hodiernum sibi, posterū domino, concedi postulans. Atque ita semper quod præsens est, voluptatis illecebris furtim quidem subtrahens: quod verò futurum est, spei nostræ concedens ad extremum vitæ finem imprudentes nos perducit.*

Talem *ego vidi aliquando auis sagacis astutiam. cum enim ob paruitatĕ ipsius pulli facilè capi possent, illa se vt promptam prædam obijciens, atq; per aucupum manus volitans, neque ipsis ob agilita-*

tem captu erat facilis, neque in prædæ desperationē ipsos adducebat: sed varia spe, dum in sui capturā occupatos detinet, pullis suis fugæ libertatem conciliat, atque tandem ipsa simul euolat.

Caue igitur ne & tu ob vanam dubiámque spem quæ sunt certiora dimittens, persimilia patiaris. Vide etiam, ne, dum pœnitentiam ex anno in annū, è mense in mensem, è die in diem reijcis, incidas aliquando in nō expectatum temporis articulum, quo quidem te omnia in posterū vitæ subsidia deserant: rerum verò omnium vndequaque te opprimat inopia, atque nulla consolatione mitiganda anxietas, desperantibus de tua salute medicis, desperantibus amicis: quando frequenti aridóque pressus anhelitu, exardescente intus vehementi febre, téque penitus conficiente, suspiria ex intimo corde mittas quidem, qui autem tecum lugeat inuenias neminem: & tenue quidpiam ac imbecillum balbutias, qui verò te audiat, non sit: quodcunque etiam à te dictum, vt deliramentum contemnatur.

Quis apud te aßiduo morbo perturbatum de pœnitentia agere velit? Cognati & affines tristantur animúmque deijciunt. Externi & tecum nulla consuetudine iuncti, de tua perturbatione aut ægrotatione non curant. Amicus ad commonefaciendum tardus est, ne si id faciat perturbationem tibi afferat. Aut forte etiam medicus tibi imponit: nec de te desperas ob innatam natura cuique viuendi cupiditatem. Irruit mors, vrgent qui ad supplicium te

rapiunt, quis te liberabit? Deúsne quem adeo neglexisti? Scilicet tum exaudiet te, qui nunc eum non audis: scilicet terminum vitæ prorogabit tibi, qui prorogata tam præclare vsus es.

Nemo te vanis sermonibus decipiat: incumbet enim tibi repentina pernicies, vitæque finis aderit veluti procella. Mœstus accedet angelus, trahẽs víque abducens animã tuam vitiorum cathenis astrictam, crebróque ad ea quæ hîc sunt respiciẽtem, & dolentem sine voce, organo lamentationũ & querelarum in posterum intercluso. O quàm varijs teipsum dilaniabis modis? quot suspiria emittes, frustráque tuorum te consiliorum pœnitebit.

Cum iustorum hilaritatem perspexeris, in splendida illa donorum largitione, atque in maximis tenebris peccatorum mœstitiam, quid in summo tui animi dolore tum dicturus es? Heu me miserum, quòd non abiecerim graue istud vitiorum pondus, cum adeò mihi facilis eius esset depositio: sed horum malorum cumulum mecum attraxerim. Heu me qui maculas istas ac probra non eluerim: sed peccatorum notis vndequaque insignitus sim: nunc mihi cum angelis esse, nunc cælestibus bonis abunde frui liceret.

O peruersa consilia: propter breuißimum peccati oblectamentum perpetuò torqueor, ob corporis voluptatem igni trador æterno. Iustum profectò dei iudicium: vocabar neque audiebam, docebar neque attendebam: testificabantur mihi atque obte-

stabantur, ego autem irridebam. Hæc atque his similia tuam deplorans miseriam, pronunciabis. Si priusquàm pœnitentiam agas, rapiaris ô homo, aut supplicium metue, aut regnum tibi vendica.

A lachrymis abstinere nõ possum, dũ animaduerto te turpitudinis impuritatísq; flagitia immensæ illi dei gloriæ anteferre: atque intemperantiæ suauitate illectũ, peccato tam pertinaciter adhærere, vt præmijs à deo pollicitis teipsum excludas, atque ita cælestis illius Hierusalem bonis nũquam tibi frui liceat.

Ex cõ.in xxxvii. Psalm. *Tui vult misereri iudex, suarúmq; te miserationum participem facere, vt ille ait, "Diligit misericordiam & iudicium dominus: modò te post peccatum humilem inueniat, dolore cõtritum, scelera tua multum deplorantem, quæ clam admisisti palam inuerecundè profitentem: obnixè à fratribus petentem, vt in paranda tibi medicina tecum simul laborent inuigiléntque. Porrò cum te dignum cuius misereri debeat, aspexerit, larga manu suam tibi misericordiam impartiatur. Si verò impœnitẽtem animum, mentem superbam, futuri seculi diffidentiam, nullũ iudicij timorem in te agnouerit, tum suum contra te iudicium exercebit.*

Vt enim diligens ac humanus medicus, fomentis primum lenioribúsque emplastris excrescentes tumores reprimere tentat: postquàm verò molem ipsam senserit obstinatè duritérq; obnitentẽ, deposita tandem lenitate mitioréque ad emolliendũ via relicta, ferro deinceps sibi vtendum statuit.

Sic

Sic etiam omnino se veniam negaturum commi-natur dominus, his qui sæpius collapsi cùm suæ benignitatis auxilio sese erexerint ab ipsis vitijs, post- Ex cō. in Esaiam.
» *ea superari se permittunt. Ait enim, Nō amplius re-*
» *mittam vobis peccata vestra. Atque ea ratione id facere ostendit, quòd iam antea sæpius similia nobis peccata condonarit. Qui autem vitæ sanctimoniæ se totum tradere vult, is nisi etiam sibi plurimum à deo indulgeatur, frustra laborat.*

Nam in quibusdam vitijs deprehensum, deinde ad melioris vitæ rationem se rediturū pollicentem, vult dominus præteritis quidem imponere finem, vindicari etiam à se quodammodo post peccatū, acsi per pœnitentiam reuixisset. Illum verò qui semper hæc pollicetur, sempérque in eisdem impingit, vt de cuius salute prorsus desperatum est, suæ benignitatis munere secludit.

Non enim qui dixit, Peccaui, deinde in vitijs perseuerat, hic verè confitetur: at qui suo Dauidis imitatione agnito peccato, illud odit abhorrétq;. Quid enim ægrotanti proderit medici diligentia, si rebus vitæ plurimum exitiosis ægrotus det operā? sic neq; ex delictorum condonatione quidpiam vtilitatis accipiet is qui delinquendi adhuc imbecillitate laborat, neque scelera si remittātur, quidpiam ei profuerit qui adhuc sceleratè flagitioséq; viuere pergit.

Desine itaque proximi tui vitia curiosius indagare: ne tuis cogitationibus tantum ocij permiseris; vt in examinanda aliorum imbecillitate occupen-

tur: sed in tuiipsius inquisitionem, tuæ mẽtis oculos
Luc. 6. *converte. Multi enim festucã quæ in fratris est oculo conspiciunt: trabem autem quæ in suo est, minime vident. Ne quæ extra te sunt circunspice, vt habeas*
Luc. 18. *quod in alio reprehendere possis, illius insignis Pharisæi exemplo qui seipsum iustificabat, Publicanum autem deprimebat. Sed teipsum examinare non desistas, an non quidpiam cogitatione peccaris, an non lapsa sit lingua cogitationem anteuertens, an non manuum opera quidpiam eorum quæ non decent imprudenter gestum sit.*

Ex cõ. in 33. Psal. *Quemadmodum enim fieri non potest, vt qui à morbo non est liberatus, planè conualescat, aut calor ei reuocetur à quo prorsus frigus non abscesserit: hæc enim simul inesse minimè conceditur: sic & eum qui optimum vitæ genus secuturus est, oportet omni vitiorum contagione vacuum esse.*

Ex Epist. *Nam pœnitentia non temporis diuturnitate, sed ipso animi affectu æstimatur.*

Ex cõm. in Esaiã. *Qui verò à plena vanitatis hac vita seiuncti sunt, & in diuiniore seipsos exercẽt, ne apud se, neque seorsim soli se ipsi exerceant. non enim ab arbitris eiusmodi vita remota debet esse, vt extra suspicionem omnem sit posita.*

Ex cõ. de nõ adhærẽdo rebus huius vitæ. *Quòd si quispiam iam à longo tẽpore inescatus, diuitiarũ puluerem iniustè sibi congessit, mentémq; suam harum illaqueauit solicitudine, aut obscœno impudicitiæ flagitio, neque facilè expiando, naturam ipsam polluit, aut alijs se criminibus onerauit,*

hic, dum adhuc licet, priusquam omnino pereat, quàm plurimis se exoneret: ac antequam submergatur nauigium, suarum mercium iacturam faciat quas sibi iniuste cumulauit.

Quæ rectè eiiciuntur pecuniæ, neq; ipsis pereunt qui eas abiiciunt: sed veluti in onerarias quasdam naues tutiores transmotæ, pauperum nempe ventres, tutius asseruantur, & in portum citius inuehuntur, atque nihil indecorè inhonestéque faciunt qui ea deijciunt.

Nam ad earum affectionum emendationem, quæ in nobis æui diuturnitate inualuerunt, tempore primum est opus, deinde strenua constantioréque vitæ ratione, si velit quispiam tã altè penetrare, vt actas iam antea longo tempore in animis nostris radices funditus extirpare possit. Ex I pist.

Haud absimilis fuit summa illa absolutáque Niniuitarum pœnitentia, atque prudens vehemensq; eorum afflictatio, quæ ne bruta quidem rationisq; expertia à pœna suppliciòque exemit, sed commento quodam illa etiam vlulare coëgit. Seiūctus enim fuit à vacca vitulus, à maternis vberibus auulsus agnus: lactans infantulus inter suæ genitricis vlnas minime conspiciebatur· eiulatus verò ab omnibus lamentabiles mutuò sibi respondentes atque resonantes, exaudiebantur: paruuli fame pressi, lactis scaturigines requirebant. naturali matres affectu perculsæ, flebilibus liberos suos acclamationibus vocitabant: ita etiam esurientes infantuli acerbio- Ex conc. habita in fame & siccitate. Ion. 3.

re fletu disrumpebantur, repetitóque sæpius anhelitu palpitare non desinebant. Quæ pepercerant matres, naturali intestinóque dolore pungebantur: senex iuxta illas flebat, canósque sibi euellebat: adolescens, constantiorísque ætatis vir, vehementius lamentabatur: pauper suspirijs consumebatur, diues pristinarum deliciarum oblitus, vitæ duriori, afflictioníque ferendæ quasi rei seriæ, frugíque seipsum exercebat.

Ipse etiam rex splendorem maiestatémq; in sordidum abiectúmque vitæ genus conuertebat, coronam deponebat, capútque suum multo puluere obducebat: abiecta purpurea veste, sacco se induebat: excelso sublimíque solio relicto, misere se in terram prosternebat: singulari imperatoriáq; maiestate deposita, vnà cum populo lamentabatur: vnus è vulgo effectus est, quando communem omnium dominum iratum intellexit.

Seruorum hoc fuit sapientum prudens consilium, hæc eorum qui peccatorum laqueis irretiti erãt, pœnitentia: vt per omnem ætatem, siue respicias eam quæ sensu prædita est, siue quæ huius prorsus est expers, acerbus perruaderet mœror: illa de industria, hac ex necessitate sentiente dolorem. Propterea cùm eos vidisset dominus animo adeo prostrato, vt ad augendam sui miseriam nihil non excogitassent, & eorum doloris simul misertus est, & se ab vltione cõtinuit, atque his qui sapienter luxerant, gaudijs tandem perfrui concessit.

Humanitatis enim dei, eiúsque erga homines beneuolentiæ id sane proprium est ac peculiare, vt his ex improuiso supplicia nō inferat, sed comminationibus ea longè antè denunciet, peccatores ad pœnitentiam prouocās. Sic enim & hos per Ionam præmonuit. Atque Israëlem cùm peccasset, in interitum non statim neque silens adduxit: sed obsequentem sibi famulū incitans, pro populo vt oraret prænunciauit, inquiens, Dimitte me atque populum istum funditus delebo. Ex cō. in Esaiam.

Simile verò quidpiam in euangelio etiam didicimus ex ficus parabola, dicente ipsius domino agricolæ. Iam triennio ficum accessi, vt in ea fructū inuenirem, neque adhuc inueni: excide ipsam, ne amplius terram frustra occupet. Luc 13.

Itaque in quod tempus reijciemus pœnitentiam? nunquámne resipiscemus? nec tandem aliquādo ab assueto viuendi genere ad accuratam euāgelicæ vitæ rationem nosipsos reuocabimus? non oculis nostris obuersabitur horrenda illa adeóque certa domini dies? cum eos quidem qui rectè factorum patrocinio sese in dei dexteram insinuauerint, cælorū regnum excipiet: alios verò ab eius sinistra, quòd nihil vnquam boni egerint desperatos ignis gehennæ perpetuæque absorbebūt tenebræ. Ibi erit fletus, inquit, & stridor dentium. Matt. 25 Luc. 13.

At peccatū quidem nos sæpe citóque perficimus, ad pœnitendum verò negligentes segnésque nos exhibemus. Ex conc. habita in fame & siccitate.

Cælorum etiam regnum nos percupere dicimus, illa verò quibus id maximè comparatur, floccipendimus: quin nullum laborem obseruandis dei præceptis insumentes, æqualia præmia cum his qui ad mortem vsque obluctantur, peccato nos consecuturos esse, vana mentis nostræ cogitatione cõcipimus.

Tãgamur igitur fratres, tangamur tandẽ aliquando animarum nostrarũ cura: anteactæ vitæ vanitas molestia nos afficiat: pro futurorũ adeptione decertemus: ne socordiæ eiúsq; mollitiei immoriamur: & quod præsens est per ignauiam semper deferentes, rectéque agendi principium in crastinum posterúmque diem reijcientes, ab animarum nostrarum insidiatore postea oppreßi, nullis rectè factorum armis muniti, sponsi gaudijs priuemur, tum anteactũ perperam vitæ tempus deplorantes, quando pœnitentibus nihil profuturum est.

Hoc seculum pœnitentiæ est: illud retributionis. hoc, benefaciendi: illud, mercedis. hoc, afflictionum ferendarum: illud, consolationis. Nunc eorum qui à scelerata via diuertũt, auxiliator est dominus: tum formidabilis nulláque ratione decipiendus humanarum actionũ cogitationúmque censor. Nunc, eius longanimitate perfrui licet: tum, seuerum eius experiemur iudicium, cùm resurgemus, alij quidem ad perpetuos cruciatus, alij verò ad vitam æternam: & reddetur vnicuique secundum opera sua.

Ex conc. cõtra Ebriosos. *Vobis verò, quibus eorum qui correpti sunt turpitudo summo dolori fuit, præcipimus vt eorum nõ*

secus ac vestrorum membrorum imbecillitate afficiamini, modò suorũ scelerum pœnitentia duci agnoueritis. At si pertinaces, acceptique eorum causa mœroris contemptores senseritis, ex eorum medio vosipsos proripite & separamini, atque immũdum ne attingatis, vt sic illi quidem pudore tandem suffusi, improbitatem suam agnoscant: vos verò idẽ quod Num. 25.
Phinees æmulationis præmium referatis à seruatore nostro Iesu Christo, cui gloria, & potestas, nunc, & semper, & in secula seculorum. Amen.

DE ORATIONE
Concio IX.

NOSTRAM *ad deũ orationem non syllabarum numeris absoluere nos oportet, ô fratres: sed sincera potius animi voluntate, rectisq; per totam vitã actionibus.* Neque *enim deũ verborum nostrorum commemoratione indigere existimamus: sed quæ nobis vel ne petentibus quidẽ vtilia sint, perfectißimè nosse.* Ex cō. in mart. lu. littam.

Diuinæ *siquidem aures voce non opus habent, vt sensu percipiant.* Nouit *enim quàm primum ad appetendum cor nostrum mouetur, quid requiramus.* Ex cōm. in lxi. psalm.
Nónne *audis* Mosem, *cùm ne verbum quidẽ vllum* Exod. 14

proferret, sed tacitis dominum suspirijs cum domino colloqueretur, ab ipso auditum fuisse, sibíque respon-
» *sum, Quid clamas post me?*

Ex cō. in Esaiam. *Qui verò nullus rectè factis vitam instruunt, orationis verò prolixitate iustificatos iri se arbitrãtur,*
Esa. 1. » *hæc dicta auscultent, Cùm manus vestras ad me ex-*
» *tenderitis, auertam oculos meos à vobis: & cũ ora-*
» *tionem multiplicaueritis, non exaudiam vos.*

Neque enim ipsa orationis verba per se soláque, prosunt quidpiam: at ita demum iuuant, si ex animo ac studioso mentis affectu emittantur. Quapro-
Luc. 18. *pter Pharisæus etiam huiuscemodi preces sibi fundebat, non domino, ad se enim reuertebantur, vtpote quæ ostentationis superbiæque cupiditate fierent.*
Mat. 6. » *Propterea seruator noster ait, Orantes autem nolite*
» *multũ loqui sicut ethnici faciunt. putant enim quòd*
» *in multiloquio suo exaudiantur. & hoc, In multi-*
Prou. 10 » *loquio non deest peccatum.*

Cur autem oculos suos deus auertat, cùm supplices ad eum manus tendimus, id in causa est, quòd ea quæ notæ ac signa sunt animi supplicis, eius iritandi occasionem præbeant: haud secus ac si quispiam charißimum alicuius filium cùm occiderit, sanguinolentas adhuc manus habẽs, eas patri acerbè meritóque irascenti protendat, dextram amicitiæ beneuolentiæ've indicem expetens: nonne conspectus in interfectoris manibus filij sanguis, ira maiore offensum incendet? Huiusmodi etiam sunt Iudæorum orationes, quando manuum suarum ex-

tensione deum atque patrem editi in vnigenitum filium sceleris in memoriam reuocant, atq; suas dexteras Christi sanguine refertas, ad vnamquamque protensionem ostendunt. Qui enim in obstinata illa opinionis cæcitate permanent, paterni sunt homi-
» *cidij hæredes. Sanguis enim eius, inquit, super nos* *Matt. 27*
» *& super filios nostros.*

Semper igitur, ô homo, mentis tuæ oculis, dei obuersetur recordatio, eiúsque timor tuo insideat pectori, atque neminem ab ijs quæ à deo postulas excludas. Non parum enim auxilij hinc tibi futurum est, vnúmque eorum est adiumẽtorum quibus deus exorari poßit. Nam quandiu corporalem hanc vitam viuimus, ipsa nos plurimum iuuabit oratio: atque hinc migrantibus, compendiariam nobis ad futurum seculum viam efficiet. Ex Epist.

Quemadmodum verò solicitum esse curáq; affici, res bona est & vtilis, sic rursum deijcere animum, desperare, de salute sua hæsitabunde ac malè sentire, res est quæ animum offendit. In dei bonitate igitur spem tuam defige, neque huius auersare subsidium, certò sciens quòd si recte ad eum ingenuéq; conuertamur, non solum nos prorsus non abijciet, sed in ipsius adhuc orationis pronunciatione occu-
» *patis nobis respondebit, Ecce adsum.* *Esa. 58.*

Quis enim eorum qui deum vbique esse persuasum habent, atque his quæ fiunt adesse, & singulis nostris actionibus adsistere, animorúmque consilia intueri, aut peruersam vnquam cogitationem mẽte Ex cõ. in Esaiam.

cōcipiet, aut ſceleratum quodpiam facinus faciet? Verum in impia flagitia prorumpunt homines, aut quòd deum minimè inſpicere, aut eorum quæ hic aguntur, nullam curam gerere exiſtiment.

Animæ autem expiationis initium eſt conſtans quietáq; ipſius cōſtitutio: cùm neq; hominum more lingua vana loquitur, neque oculi coloris pulchritudinem in corporibus aptámque membrorum proportionem circunſpiciūt: neque auditus animæ intenſionem compoſitis ad voluptatem carminibus facetorúmq; hominum ſcurrilibus dictis interturbat: quæ res eſt ad frangendam animæ intentionem maxime facta. Mens ſiquidem in externas res minime diſsipata, neque ſenſuum illectamentis in mundum perlata, ad ſeipſam quidem redit, per ſe verò ad dei meditationem erigitur. Cuius quidem illuſtrata decore, ipſius etiam naturæ obliuiſcitur, adeo vt animam ipſam ad cibi ſolicitudinem & amictus anxietatem demitti haud ſinat: ſed terreſtribus curis ſoluta, omne ſtudium ad æternorum bonorum adeptionem transferat.

Ex conc. de mart. Iulitta.

Ne igitur patiaris mediam vitæ tuæ partem, con ſopitus ſomno ſenſibus inutilem tibi effluere: ſed noctis horas ſomno partire & orationi. Quinetiam inter dormiendum pietatem meditare. ſolent enim nocturnæ quodammodo imaginationes è vehementiori curarum diurnarum intentione vt plurimum oboriri.

Ex Hexahemero.

Quid verò homine illo beatius, qui ſtatim exo-

riente die ad orationes properat, hymnísq; & canticis creatorem veneratur? Sole deinde illucescente, ad opera se conuertit, nusquam orationem intermittens? hymnis deinde actiones suas non secus ac sale condit? Hilarem siquidem alacrémque animi æquabilitatem hymnorum solatia largiuntur.

Preces cibum præcedant, quibus merito ea quæ accipimus, vel post hac sumus accepturi, diuina dona celebremus. Iam à sumptis cibis repetatur preces pro acceptis à deo gratiarum actionem, ipsiúsque promissionum efflagitationem complectentes. Atque illa bona est oratio, quæ manifestam dei notionem in animis nostris ingenerat. Deus verò in nobis inhabitare dicitur, cùm eum intus insidentẽ memoria complectimur. Atque ita templum dei efficimur, cum assidua memoriæ nostræ intentio, terrenis curis minimè interpellatur, neq; improuisis perturbationibus mens perterretur: sed cætera omnia effugiens ad deum secedit, eos à se affectus dimouens ac depellens qui ad intemperantiam sunt incitamẽta, in ea etiam studia incumbens quæ ducunt ad virtutem. Ex Epist.

Itaque quod alijs diluculum esse consueuit, id sit pietatis cultori media nox, ocium præbente, si vnquam aliàs, nocturna quiete, cùm neque oculi visa, neque aures audita quæ damno esse possint, ad animum transmittant. Quin ipsa etiam mens sola secum atque cum deo consuetudinem habens, seséque malefactorum suorũ recordatione emendans, auer-

tendis peccatis sibi fines constituit, auxiliúmque diuinum ad consequenda ea quibus tota incumbit, efflagitat.

Quod quidem Mosis *etiam innuit historia, quia propterea quòd eorum actiones qui in pietate profectum faciunt, non sibi perpetuò constant: sed aliquando accuratiorem vitam agunt, aliquando verò quod in ipsis elanguescat intentio, remissius atque imbecillius sese gerunt, humanæ conditionis si-*
Exo.17. » *gna erant quæ tum fiebant.* Nam *siquidem manus*
» *attollebat, robur viréisque sumebat* Israël, *cùm verò*
» *demittebat, innalescebat* Amalec, *id est collabente nostra agendi vi, robur accipiunt ea quæ nobis aduersantur: exaugescente verò seséque extollente, validior efficitur nobis prospiciendi facultas.* Manus *siquidem attollit is, qui cælestia desiderat: is verò demittit, qui à terrenis corporeísque rebus auxiliũ implorat.*

Ex cō. in 28. Psal. *Qui igitur in dei templo est, non maledicet, non vana loquetur, non turpium rerum verba pronun-*
» *ciabit: absit: Sed in ipsius templo,* Dauide *teste, om-*
Psal.28. » *nes dicent gloriam: stant illic angeli, qui quæ emittuntur verba, excipiunt & perscribunt.* Adest *dominus qui introeũtium speculatur affectus. vniuscuiusque oratio deo ipsi perspicua est.* Nouit *enim an ex animo, an prudenter cælestia quis flagitet: an perfunctorie summis labris verba proferat, cor autem eius longè absit à deo: corporísne valetudinem bonam sibi precatur, an diuitias, an humanam*

etiam gloriam quærat: quibus omnibus minimè
» *opus esse scriptura docet.Sed in ipsius templo om-*
» *nes dicent gloriam.*
» *Verùm,ô rem admiratione dignam,Cæli enarrāt* *Psal.18.*
» *gloriam dei. Angelorum munus est,deum laudibus ornare: omnis cælestis exercitus in id totus incumbit,vt creatori det gloriā. Omnis creatura siue muta,siue loquendi facultate prædita,aëria etiam humíque repens,creatorem honore prosequitur: miseri autem mortales domos suas deserentes,& veluti vtile quidpiam consecuturi,huc illúcque cursitantes,attentas diuinis sermonibus aures minimè præbent,nec suæ ipsius naturæ sensum accipiunt. Et si quando in suorum peccatorum memoriam redeūt: nullo afficiuntur dolore,iudicium non pertimescūt. sed ludibundi, dexteræque dexteram iungētes,orationis domum prolixæ garrulitatis locum efficiunt, Dauidis testimonium neglectui habentes inquien-*
» *tis,In templo dei omnes dicent gloriam. At verò tan* *Psal.28.*
tum abest quin tu id agas, vt alios etiam id facere impedias,quòd eorum in te oculos tua loquacitate conuertas.Num enim gloria deus indiget? imo verò te dignum fieri exoptat qui gloriam consequaris.
» *Quoniam quod homo seminat, illud etiam procul-* *Gal. 6.*
» *dubio metet,*

Oportet autem largienti nobis bona, deo habere Ex Epist, *gratiam.sin in futurū ea recondat, non iniquo animo ferre. Quòd si ea etiam nobiscum esse hisq; abunde frui nos sinat,optima simul ac iucundissima hæc*

iudicabimus: si verò in aliud tempus reiiciat, leniter hanc pœnam placidéque feremus. Melius enim omnino, quàm si nutu arbitrióque nostro id ageret, res nostras administrat.

Maritima est auis Alcyon: quæ quidem nidificare iuxta litora cōsueuit, in ipsam arenam sua oua deponens: circáque mediam hyemem nidificat, quando multis vehementibúsque ventis ad terram alliditur mare. Attamen omnes quidem sedantur venti, marísque residit quiescítque fluctus dies septem, quibus ouis incubat Alcyon. hoc enim solo dierum spacio pullos ouis excludit. Verùm quoniam alimēto etiam est illis opus, septem alios dies ad pullorum incrementum tenuißimo animali indulsit splendidus ille bonorum dator deus. Quod quidem nautis omnibus satis est perspectum, qui dies illos Alcyonidas inde nuncupant.

Hæc tibi præscripta esse existimes, vt è cura quā deus etiam de ratione carentibus animalibus gerit, monearis ab ipso petere illa quæ ad salutem tuam pertinere videbuntur.

Quod enim miraculum fieri non poßit tui nomine qui ad dei imaginem factus es, cùm in vsqueadeo exiguæ auis gratiam, ingens illud horrēdúmque mare in medijs hyemis procellis iussu diuino cohibeatur tranquilletúrque? si enim Alcyoni tanta gratificatur, quanto maiora dabit ijs qui eum toto animi affectu implorant?

Quapropter ô fratres, id nobis sit persuasum, cùm

cæteris in flagitationibus nostris, tum etiam quando tentamur, non esse collocandas in rebus humanis spes nostras, neque hinc venari nobis auxiliū oportere: sed in lachrimis & suspirijs & sedula prece vigiliisque aßiduis vota nobis ei nuncupanda: sic enim sua anxietate leuatur, & qui humanum auxilium vt vanum contemnit, & qui spe in eum cui seruandi nostri est potestas, nititur. Quoniam ipsi debetur gloria, & adoratio, cum æterno eius patre, & viuificante spiritu, nunc & semper, & in secula seculorum. Amen.

DE IEIVNIO.
Concio X.

IMPERATORES *qui aciem instruunt priusquā certamen ineant, concione ad suos exhortandos vti cōsueuerunt: atque illa tantam vim habet exhortatio, vt in militum plerunque animis mortis etiā ipsius contemptum ingeneret. Exercitores verò ac palæstrici decertaturos athletas in theatrū producentes, omnem pro coronis laborem subeundum longa oratione admonent: tantúmque apud eos auctoritatis hæc inuenit persuasio, vt quamplurimi victo-*

Ex cōc. I. de Ieiunio.

riæ cupiditate capti, omnem suorum etiam corporũ curam deponant.

Mihi igitur Christi etiam milites ad præliũ aduersus inuisibiles hostes disponenti, atque pietatis athletas ad consequendas iustitiæ coronas per temperantiam comparare studenti, necessaria est qua eos cohorter oratio.

Non desunt angeli, qui per singulas quasque ecclesias eos qui ieiunant perscribant: vide igitur ne per exiguam ciborum voluptatem, Angeli quidem descriptione priueris: te ipse verò deserti ordinis crimini obnoxium apud eum qui exercitum recenset, constituas.

Minus siquidem periculi est conuinci quempiam quòd in ipsa acie clypeum proiecerit, quàm si magnum illud tutissimúmque scutum, ieiunium abiicere deprehensus fuerit. Diues es? Ne ieiunium contumeliose reijcias, quasi indignum ratus quod tibi mẽsæ socium assideat: illud domo tua inhonoratum ne amandaueris, à voluptate superatum & explosum: ne te aliquando coram ieiuniorum legislatore accuset, & multiplicem tibi ex iudicato indigentiam, vel per infirmam corporis valetudinem, vel per tristem calamitatem inuehat.

Pauper aduersus ieiunium nihil cauilletur, habens illud sibi iam olim & domesticum & familiare. Mulieribus verò vt respirare, sic ieiunare proprium est atque secundum naturam. Pueri, vt virentes plantæ imbre ieiunij faxint irrigentur. Senibus,

nibus, quòd iam ab antiquo se in eo exercuerint; leuis facilísque efficitur is labor. laboribus enim longa consuetudine assueti, si qui forte incidunt, eos exercitati facilius ferunt. Viatoribus expeditus est comes ieiunium. vt enim voluptas sarcinam illos gestare compellit, ipsius oblectamenta circumuehẽtes: sic eos ieiunium leues ac succinctos reddit. Atq; huius quidem seculi militibus pro laborum proportione auctoramentum augetur: inter spiritales verò armigeros, cui ciborum atque alimenti minus est, is dignitatis plus habet.

Quapropter valde absurdum est, ob eximiam animæ sanitatem minime gaudere, ac propter ciborum diminutionem tristari: viderique plus ventris indulgere voluptati, quàm curæ ipsius animæ. Satietatis enim gratia, ventris & abdominis cancellos non egreditur: ieiunium verò quicquid facit lucri, id omne ad animam transfert. Ex cōc 2 de ieiun.

Non imitaberis Euæ *inobedientiam, neq; rursus consultorem tibi serpentem assumes, abstinẽti corpori cibatum clanculum proponentem.* Ne *infirmã corporis valetudinem atque imbecillitatem prætextas: non enim mihi excusationes adfers, sed ei qui nouit.*

Quæso te, ieiunare non potes? Exaturari *verò per totam vitam, corpúsque tuum graui ciborum copia grauitatéque conterere potes?* Atqui *scio medicos ægrotantibus non esculentorum varietatem, sed inediam præscribere.* Qui *igitur cũ hæc possis,*

illa te non posse simulas? Vtrum ventriculo stomachóve facilius est? frugalíne ciborum vsu noctem leuiter præterire, an ciborũ largitate grauatũ iacere?

Nisi forte inquies, nauem mercibus valde onustam, minore negocio à gubernatoribus seruari posse, quàm quæ expedita leuísque est. Illam siquidem ponderis grauitate depressam vel minimus sublatus fluctus demergit: hæc verò mercibus onusta mediocriter, fluctuantem facile vndam superat.

Ex cõc. I. de ieiun. *Verumenimuero non tã mihi in ieiunij commendatione laborandum esse censeo, quàm opera danda vt ne quis ebrietatis malis succumbere se permittat. Ieiunium siquidem amplectuntur plerique, cùm propter consuetudinem, tum etiam propter eam qua mutuo afficiuntur, verecundiam. Ebrietatem verò pertimesco, quam veluti quidpiam hæreditatis paternæ vini amantes tenaciter seruant, Vt enim peregre profecturi è portu soluentes, sic stultorum nonnulli hodie in quinque ieiuniorum dies sibi prouisum esse volunt.*

Quid agis ô homo? nemo vxorem pudicam legibus matrimonij ducturus, prius pellices ac meretrices sibi comparatas domum introducit. non enim vnà cum improbis illis perditísque mulierculis habitare versaríve legitima sustineat vxor. Ne tu igitur, dum ieiunare vis, ebrietatem prius introducas, publicum scortum, impudicitiæ matrem, furentem baccham, ad omnem turpitudinis inuerecundiæque speciem promptam ac facilem.

Intra sacra septa dominus ieiunantem excipit: vinolentum vt impurum atque profanum non admittit. Etenim si cras accesseris, vinum exhalans, ídque putrefactum, quomodo crapulam tibi in ieiunium imputabo? Neque enim quòd hodie merum non hauseris, sed quòd hesterno adhuc mades, id reputa.

Quo te in ordine collocare debeo? temulentorúmne an ieiunantium? Præterita quidem ebrietas te ad seipsam rapit, præsens verò inedia ieiunium testificatur. Illa te non secus ac mancipium sibi vendicat, neque te merito priuabitur, euidentia seruitutis argumenta, odorem vini vt in vase seruatum, proferens.

Cuius ludimagistri aduentus ita repente puerorum sedat tumultum, vt ieiunij præsentia commotionem ciuitatis comprimit? Quis vnquam comessabundus inter ieiunandum incessit? Quis petulans à ieiunio conflatus est chorus? Cantilenæ impudicæ atque insanæ saltationes vrbe se subducunt, à ieiunio veluti quodam seuero præside in exiliũ missæ.

Quòd si omnes eo in rebus agendis cõsultore vterentur, nihil sanè impediret quominus alta diuturnáque pace totus terrarum orbis frueretur, cùm neque alij in alios populi insurgerẽt, neque mutuò sese exercitus profligarent: neque prorsus in solitudine homines laterent prædones, aut in ciuitatibus essent sycophantæ, aut in mari piratæ. Nostra denique hæc vita tot suspirijs tantísque mœroribus non adeo ple

na esset, si eam ieiunio moderandam cõmitteremus. Illud siquidem omnes doceret, non in cibis se continere solùm, sed & in auaritia, & in plus habendi cupiditate, atq; ab omni vitio esse prorsus alienos.

Ab eo magnus ille enutritus fuit Sampson: quod
Iud. 16. *quidem dum viro adfuit, innumeri ab ipso cõficiebantur hostes, ciuitatũ refringebantur ac reuellebãtur portæ: ipsi quoq; leones eius manuum robur minimè ferre poterant: quãdo verò illũ inuasit fornicatio atque ebrietas, hostibus captu fuit perfacilis. cúmq; tandẽ oculos amisisset, externarum gentium pueruli eum pro ludibrio iacentem habuerunt.*

3. Reg. 17 *Cùm ieiunasset Helias, cælum tres annos menses sex clausum tenuit. Quandoquidem enim quamplurima oriri è satietate flagitia cernebat, inuitis illis præ fame ieiuniũ necessario inuexit: quo quidem iã in immensum effusam eorũ improbitatem coercuit, ieiunio veluti cauterio quodam aut sectione, mali progressum intercidens.*

Vt enim duræ ceruicis hominum adamantinum cor emollire posset, vir iustus voluit etiam communis omnium calamitatis se esse participẽ. Propterea,
3. Re. 17 „ *Viuit dominus, inquit, si aqua futura est super ter-*
„ *ram, nisi per os meum: sic & viduæ puerum restituit, palàm & manifestò declarans se beneficio ieiunij morti obsistere posse.*

Neque verò beneficentiæ tuba proclamatæ vlla est vtilitas: neque item ieiuniũ si palam fit corámque omni populo, prodest quidquam. Eorum enim

quæ ostentationis causa fiunt, fructus ad futuri seculi adeptionem minimè extenditur, sed ad vanam hominum gloriam conuertitur.

Elisæo autem cuiusmodi vita? qualiter ab Sunamitide hospitio exceptus fuit? Quomodo verò & ipse prophetas domi suæ accipiebat? Nonne olusculis agrestibus modicóque farinæ hospitalitatem implebat? quando sumpta tolype periclitaturi essent qui attigerant, nisi ieiunantis animo, insita veneni vis hebesceret? Atque, vt paucis perstringam, omnes sanctos comperies à ieiunio veluti manuductos in eam quæ secundum deum est vitæ rationem. 4.Reg. 4

Est quædã corporis natura quam Amianton nuncupant, nullo igne consumenda, quæ quidem in medijs flammis posita, in carbones abire videtur: verũ ignis incendio exẽpta, purior educitur & mundior. Huiuscemodi erant illorum trium puerorum corpora, ab ipso ieiunio sortita amianton. Cùm enim in magna fornacis flamma, quasi natura essent aurei, ita ignis omni iniuria superiores cernebantur. Daniel. 3.

Quinetiam vel ipso auro potentiores se palàm præstabant. non enim eos eliquabat ignis vt aurum, sed integros incorruptósque conseruabat, tametsi nihil est quod illam flammam tum sustinere potuisset, quam naphtha, pix, sarmentáque nutriebant, vt ad quadraginta nouem cubitos ea effunderetur, atque depopulans omnia quæ circũ erant, multos ex Chaldæis vnà concremaret. Pueri igitur ingressi ingens illud incendium, ieiunio comite conculcabant, te-

nuem roſcidúmque aërem in inſanientibus adeo flã mis exhalantes, quæ quidem nec in ipſos etiam capillos tentare quidpiam auſæ ſunt, vtpote qui eſſent ab ipſo iam olim ieiunio enutriti.

Dan. 10. Daniel verò ille deſideriorũ vir, cum tribus hebdomadis panem non comediſſet, neque aquam bi-
& 14. biſſet, foueam ingreſſus, leones quoque ieiunare docuit, qui in eum veluti lapideum, aut æreum, vel ex duriore ſolidioréque alia quauis materia compactum, dentes inijcere non potuerunt. Sic ieiunium viri corpus, veluti acies ferri, adeo exacuerat, vt leonibus indomitum redderet.

Nequaquam Moſes auſus fuiſſet, fumigante montis vertice, ante illum conſiſtere, neque ingredi cali-
Exod. 19 ginem, niſi prius ieiunij arma induiſſet. Ille per ieiunium mandata accepit dei digito in tabulis deſcri-
Exod. 24 pta. At ſurſum quidem in monte ieiunium populo
Exod. 32. legumlationem conciliauit: deorſum verò ingluuies illum idololatria furere atque inſanire fecit. Cùm enim dies quadraginta continuos ieiunaſſet, atque oraſſet obſequentiſſimus ille dei famulus, omnem ipſius laborem irritum atque inutilem reddidit vnica populi comeſſatio. Quas enim tabulas dei digito ſcriptas ieiunium acceperat, eas contriuit ac deleuit ebrietas, nimirum iudicante propheta indignum eſſe vinolentum populum, qui à deo leges acciperet.

Gen. 35. Quæ res Eſaü contaminauit, fratríſque ſeruum effecit? nónne cibus vnicus, cuius cauſa primoge-

niturae iura vendidit? Quadraginta dierum ieiunio 3. Reg. 19
animã cum repurgasset Helias, *tum in spelunca Cho
reb deum videre meruit, quatenus humana potest
imbecillitas videre.*

*Quorum in eremo collapsa sunt membra? nonne
eorum qui carnium esum quaesiere? Qui quidem dũ* Num. 11.
manna atque è saxo exiliente aqua contenti fue- Num. 20
*runt, Ægyptios vicère, per mare ingreßi sunt, neque
vllus erat in tribubus eorum qui aegrotaret: postea-
quam verò carnium ollarum memoriam renoua-* Psal. 104
*uerunt, atque libidinum desiderio in Ægyptũ sunt
conuersi, promißionis terram non viderunt.*

Sed nec ipse adeo prudens Daniel, *visiones vi-* Dan. 1. 2.
*disset, nisi mentis suae oculos ieiunio perspicaciores
effecisset: è crasso enim alimẽto fuliginosi quodam-
modo vapores sursum mißi, densae nubis instar ani-
mis nostris insita sancti spiritus lumina intercludũt.*

Itaque somnus leuis, quóque facile defungimur, Ex Epist.
*tenuis victus rationem naturaliter consequitur, qui
pro studijs & occupationibus magnarum rerum cu
ris interpellatur. Qui enim solutus laxísque suis ar-
tubus, graui sopore occupatur, adeò vt iniquis ima
ginationibus ocium praebeat, huiuscemodi somnũ
dormiens, diurnam sibi mortem accersit.*

Moses secundam legislationem accipiens, iteran- Ex cõ. 2.
dum sibi ieiunium esse duxit. Quin & Nineuitae de ieiun.
euersionis supplicium non effugissent, nisi vna cum Exod. 34.
hominibus ipsa etiam bruta ieiunassent. Ion. 3.
Magnũ proculdubio mortalibus bonum est ieiu- Ex cõc. 3. de ieiun.

nium, quod quidem dei decretum reuocauit. Pro*clamata est* Niniuæ *triduana subuersio, quam quidem superauit sedula ad deum conuersio.* Subuer*sionis siquidem comminatio propter conuersionem relaxata est, ídque candidè prænunciante* Iona *subuersionem: quo accidit vt ieiunij beneficio comminata sibi supplicia cohibuerint, atque confeßionis orationísque remedio salutem sibi contraxerint.*

Ex cõc. 2 de ieiun. *At verò quis vnquam domus suæ supellectilem ieiunio imminuit?* Eorum *quæ hodie apud te sunt, quæque erũt in posterum, subduc rationem. horum certe nullum tibi vnquam propter ieiunium peribit: ne vnum quidem domi tuæ animalculum iugulationem deflet: nulla vnquam ab inexorabili ventre in bestias sententia lata: quiescit ocióque abundat cocorum gladius: ipsa denique mensa temerè vltróque oblatis contenta est.*

Ex Epist. *Egregijs verò illis temperantiæ assertoribus, dum grauem suam quæstionem proponunt,* Cur *nos etiã non omnes vt cæteri comedamus, illud respondeatur,* Q*uia excrementa etiam nostra fastidiamus.* Q*uantum enim ad dignitatem attinet, olera herbarum atque carnes pariter æstimamus: quantum verò ad eorum quæ conferunt differentiam, vt & in oleribus quod noxium est ab eo quod congruit & vsui est, separamus: sic & in carnibus, damnosum ab vtili seiungimus.* Nam *& cicuta olus est, vt & caro vulturina, caro: attamen neq; hyoscyamũ sana quispiam mẽte præditus comederit, neque ca-*

ninam carnem degustarit, nisi summa coegerit necessitas. quod qui fecerit, neque ob id peperam egisse censebitur.

Paululum è labore cocum tuum recrea: mensæ tuæ structori ocij nonnihil permitte: pocillatori siste manum: quiescat is tandem aliquando qui tibi ciborum varietati studet. Liberetur tandem aliquando infinitis tumultibus domus tua, fumóque ac nidore, & cursitantibus sursum deorsúmque famulis, inexplebili ventri, vt domino, ministrantibus. Faciat, faciat, inquam, inducias cum ore venter: paciscatur nobiscum quinque dierum ferias. At ille cibos semper expetens, neque vllum vorandi finem faciens, hodierno pastus die, crastini obliuiscitur: cúmque impletus fuerit, de cōtinentia philosophatur: cùm euacuatus fuerit, decretorum prorsus non meminit. Ex cōc. 2 de ieiun.

Sed iam tempus est vt nos causa dicta apud eum imperatorem qui nobis immedicabilia præcipit, sermonem finiamus. Ignoscere nobis ne grâueris ô serenissime. Nā si vt vellemus ita epularemur, ne vnius quidem diei sumptibus sufficere possent omnia quæ possidemus. Ociosa ideo est apud nos ars coquorū: horum verò gladius nullū cum cruoribus domi nostræ habet commercium. Delicatissimi apud nos cibi quibus abundamus, herbarum sunt varia genera cum modico pane vappáque, adeo vt præ ingurgitatione non hebetescat sensuum vis, neque aliquid in nos potestatis sibi arroget intemperantia. Ex Epist.

Vt enim in veste, vtilitatis primum est habenda ratio: ita in cibo, panis vsus famem tollet, atq; in eo qui integræ est valetudinis, sitim sedabit aqua: quibus ea etiam addere possumus è seminibus pulmẽta, quæ ad vsus necessarios inuenta, ipsius corporis robur firmitatémque tuentur. Inter epulandum autem id maximè cauemus, ne cibaria ea mandamus quæ gulæ rabiem excitent, sed omnibus in locis animi constantiam æquabilem, & moderationem ac continentiam ab omni genere libidinum cõseruent.

Ex Hexahemero. *At quid ago? cum certè eorũ quæ à me dicta sunt multitudinem perpendo, video me iustæ orationis modum excessisse: quando verò ad vberrimum sapientiæ dei fontem animum conuerto, tum certè ne ipsius quidem narrationis limen attigisse me existimo. Itaque si vos diutius in his occupatos detineo, non prorsus à re vestra fuerit alienum. Qua enim in re totum hunc diem ad vesperam vsque consumpseritis? Non vos vrgent conuiuatores, non vos expectant conuiuia. quare si videtur, corporali ieiunio ad animorum exhilarationem abutamur.*

Corpori sæpius tui oblectamenti gratia inseruiuisti, hodie animi ministerio immoreris. Tuæ tibi sint deliciæ Christus, atque ipse votorũ tuorum compotem te faciat. nam quid prodest corpore ieiunare, innumeris verò vitiorum sordibus animo scatere? Quid verò non vanum loquitur? Quid non absurdum audit is qui licet male non agat, in ocio tamen degit? Ocium enim absque dei metu, apud eos qui

tempore abutuntur, improbitatis magister est.

Fortasse igitur vtilitatis etiam quidpiam in his quæ dicta sunt inuenietis. sin verò minus, attamen vobis hac in auditione occupatis datur à peccato abstincre, adeo vt dum vos diutius detineo, diutius etiam à vitijs vos subtraham, atque ad cæleste illud regnum veluti manu ducam. Quod quidem aßequi nos omnes contingat, in Christo Iesu domino nostro, quia illi debetur gloria, & honor, atque adoratio, æternóque simul patri, ac sanctißimo viuificantíque spiritui, nunc & semper, & in secula seculorum. Amen.

DE MORTE, Concio XI.

O REM *mirandam, charissimi, vt nostrum vnusquisque simul atque maternos sinus effugit, subitis statim temporis fluxibus irretitus, tacitè abripitur, semper quem vixit diem à tergo relinquens, atque ad hesternum reuerti, etiam si maximè quis id contendat, nulla ratione valens. Nobiscum verò præclarè agi existimamus, dū ad vlteriora progredimur, mutatarúmq; ætatum vicißitudine, vt facto lucro, gau-*

Ex cō. de nō adhærēdo rebus huius vitæ.

demus: illum quoque beatum esse iudicamus, qui è pueris ad constantē ætatem, atq; ex illa ad senectutē euadit. Nec *verò animaduertimus id nobis vitæ spacij perire quod viximus, neque hanc effluere atque consumi sentimus, licet ipsam præteritorū semper ac iam fluxorum annorum modulo metiamur: ac ne cogitamus quidem, quantum nobis temporis indulgere volet is qui ad hanc nos peregrinationem transmisit, minimè perpendentes quæ ad conficiendum hoc curriculum leues sint sarcinæ, nobísq; eas dum collegerimus, transportatu faciles: quæ verò graues & molestæ, humóque adhærentes, hominúmque prorsus consortio alienæ, & quæ vnà cum possidentibus eas per angustam illam ianuā ingredi nullo modo permittantur.*

At *certe quæcunque nos accumulare operæpretium est, hæc relinquimus: quæ verò despicere neglectuíque habere confert, hæc congerimus.* Et *quæ vnum nobiscum esse possunt, ornatúsque re vera fieri animæque ac corpori coniunctus, ad ea minime attendimus. quæ verò à nobis perpetuò manent aliena, nihil nisi dedecus apud nos deponentia, hæc accumulare contendimus, in vanum laborantes, haud secus ac qui se ipse decipiens, perforato vndique dolio aquam haurire niteretur.*

Vt enim qui contento studio aliquò pergunt, pedum gressus cursu inuicem certantes progrediendo alternant, sempérque priora vestigia celeri alterius transpositione posteriora ostendunt, atque ita facile

ad instituti itineris metā perueniunt: sic qui ab ipso creatore in hanc vitam producti sunt, statim ab initio in temporis particulas incurrentes, quódq; prius est semper à tergo relinquentes, ad vitæ tandem extremum perlabuntur. Nam hæc vita mihi perpetua quædam via videtur esse quæ complicata sit, itérq; ætatibus quasi stationibus distinctum, profectionis initium vnicuiq; præbens, matrum parturiginem: cursus verò finem, sepulchrorum habitacula præmonstrans, atque ad illa omnes perducens, hos quidem citius, illos verò tardius: hos certe per omnia temporis discrimina ingressos, nonnullos ne primarum quidem vitæ stationum hospitio exceptos.

Deus enim à quo formati animatíque sumus, suā cuiq; animæ vitæ māsionē cōcessit, aliísq; alios hinc decedendi limites præfixit. hūc enim diutius in corpore commorari voluit, illum verò eius vinculis citius exolui statuit, secundū ineffabilem suæ sapientiæ iustitiæque rationem.

Vt enim qui in ergastula incidunt, alij quidē longiori tempore in vinculis asseruantur, alij verò breuiorem suæ calamitatis liberationem inueniunt: sic animarum etiam, aliæ diu hac in vita detinentur, aliæ verò minus, pro cuiusque dignitatis proportione, deo creatore nostro per altitudinem diuitiarum sapientiæ suæ, quam humana mens capere non potest, rebus singulorum prouidente.

Quemadmodum enim in nauigijs qui dormiunt, spirantibus ventis vltro ad litora deducuntur, li-

cétque non sentiant, ipse tamen cursus illos eò adducit: sic etiam vitæ nostræ tempore, veluti continuo quodam ac indesinente motu præterfluente, ad proprium quisque finem tacito ætatis cursu festinamus atque vrgemur.

Viator in hac vita constitutus es: omnia præteris, à tergo relinquis omnia: inter eundum plantam conspexisti, aut herbas, aut aquæ riuulum, aut eorũ quidpiam quod spectari meretur: paululum delectatus es, deinde præterijsti. In saxa rursus, terræ hiatus, præcipitia, scopulos, spicula incidisti, aut fortè etiam in feras, serpentes, spinas, atque in alia huiuscemodi quæ molestiam adferre consueuerũt: paululũ tristatus es, deinde hæc deseruisti. Talis est profectò vita nostra, in qua si quæ delectant possederis, minimè permanserint: si quæ mœrore afficiunt, neque item durauerint. Terram hodie coluisti, cras alter, atque post illum alius.

Vides agros istos, atque sumptuosas has domos? quot iam ab eo tempore, quo horum vnumquodque extat, nomina mutauit? illius olim esse dicebatur, alterius deinde nomine nuncupatum est: ad quendam deuenit, deinde nunc sibi vendicat alius. Nõne igitur via quædam est nostra hæc vita? modo hunc, modo illum assumens, atque omnes sese vicißim insequentes habens?

Ex conc. de nõ adhærendo rebus huius vitæ.

Ab alijs igitur vijs quotquot è ciuitate ad ciuitatem ducunt, declinare conceditur, per eásque ingredi nemo compellitur inuitus: hæc verò vitæ istius

via etiam si nos cursum reijcere remorarique voluerimus, vi circumplectens eos qui hanc calcant, ad præfinitam à domino metam trahit: neque fieri potest vt qui semel eam ianuam quæ ad hanc vitã aditum præbet, subierit, ipsámque hanc viam fuerit ingressus, ad huius etiã extremũ non perueniat.

Ne igitur ea quæ vilißima sunt pluris faciatis q̃ quæ sunt preciosißima: neque mali permutatores efficiamini, dum mortalem hanc vitam immortali beatæque illi quieti anteponitis. Nam præter cæteras turpitudinis infamiæque perpeßiones, quibus voluptuosorum maior pars obnoxia est, quæ accidunt vitæ necessaria animi præstantiam inflectentia, ipsum veluti in seruitutem redigunt, & ad corporis deprimunt ministerium. vbi verò est seruitus, ibi sane est & ignominia. Fugienda igitur illa est vita quæ cum infamia coniuncta est.

" *Magnum nil enim facio, inquit ille, quod me*
" *tibi trado hero:*
" *Nam cum tuus sim seruus, offero quod tuũ est.*

Creatoris nempe omnino seruum est illud quod ab eo creatum est.

Oportet igitur vt qui corpoream hanc vitã agit, peregrinum se esse sentiat: qui verò hac excedit, se suis in sedibus requiescere tum existimet. Propterea etiam Abraham, dum inter viuos ageret, cum alienigenis inquilinus & aduena habitabat, propriæ sibi terræ ne vbi pedis quidem vestigiũ figeret adeptus: at cum sui sepeliendi tempus aduenit, propriũ Genes. 12. Genes. 23.

sibi agrum qui corpus suum exciperet, argento mercatus est.

Perbeatum igitur proculdubio est, terrenis hisce rebus vt suis ac proprijs minimè adhærescere eísque intabescere, neque vt naturalem quandam patriam, hanc nobis vendicare: sed eam ipsam multæ nomine mansionem grauatim ferentes, sic incolere, acsi ob scelera quædam in exilium à iudicibus quibusdam procul à patria ablegaremur.

At ob diuitias superbis, tuorúmque maiorũ stemmatibus gloriaris: atque ob patriæ fœcunditatem, corporis pulchritudinem, delatúmque tibi ab omnibus honorem exultas? Itáne verò mortalem te, cinerem te esse, atque in cinerem reuersurum non nosti?

Considera eos qui ante te dignitatis eodem splendore claruerunt: vbi sunt hi qui in ciuitate magistratibus fungebantur? vbi inuictißimi rhetores? vbi imperatores? vbi satrapæ? vbi tyranni? Nonne omnia cinis? Nonne omnia fabulæ? Nonne ad paucorum oßium cumulũ monumenta eorum redierũt? Inspice in sepulchra, & vide num à famulo herũ, à paupere diuitem discernere queas: captiuum ab imperatore, si tibi per facultatem licet, distingue, robustum ab imbecillo, formosum à deformi. cúmque ipsius naturæ memineris, nulla vnquam superbiendi libidine capiêris.

Ex cõm. in xlv. psalm. *Quid enim morientem diuitem iuuat, si suas secũ diuitias auferre minimè poßit? qui quidem ex earũ fructu id lucri fecit tantũ, quòd dũ hanc vitam ageret,*

ret, assentatorum blanditijs bearetur. dum verò morietur, hanc omnem supellectilem non assumet, víxque contegendis pudendis indusium accipiet, idque si forte domesticis funus curantibus ita fuerit visum.

Ac praeclare cum eo agatur, si vel terrae tantillum sortiatur, quod ab his qui iusta faciunt, etiam aegre conceditur: qui quidem haec illi exhibent humanae cõmunísque naturae pudore, non ei gratificandi quidem desiderio, sed potius hominis naturam venerandi studio.

Itaque nullum eorum quae in hac vita delectationem afferunt, quibus hominum maior pars insanire cõsueuit, nostrum reuera esse, aut fieri, natum est: sed illa pariter ab omnibus aliena cernuntur, tum ab ijs qui istis frui videntur, tum etiã ab ijs qui nullum cum istis habuere commercium. Neque enim si quidam ingentem auri aceruum accumulauerint, horum manet is proprius perpetuò: sed viuentibus adhuc, quantũuis eum ipsi vndequaq; rigidè astrinxerint, elabitur, ad potentiores transfluens, aut vita excedentes deserit, neque vult vnà cum his à quibus poßidetur, peregrinari. Ex conc. de nõ adhærendo rebus huius vitæ.

At illi quidẽ ab eo qui animas à misero hoc corpore vi separat, in necessariò calcandam viam abrepti, crebro ad pecunias conuersi, exhaustos à iuuentute ipsarum gratia sudores lamentantur: ipsae verò aliorum aspectant manus, quae quidẽ nihil aliud illis praeterea, quàm insumptum in se congerendo la-

borem,atque auaritiæ crimen,conciliarunt.

Itaque si quis infinita terræ iugera poßideat, magnificas domos,omnis generis animalium greges,atque omnem inter mortales principatum teneat, neque profectò his perpetuò frui potest: sed exiguo tẽporis momento,harum rerũ patrocinio clarus,hanc rursus in alios facultatum copiam deponet,breuem terræ tumulum subiens. Sæpenumero etiam ante sepulchrum,ac priusquam hinc migret,quicquid vnquam prosperitatis secundíque habuit successus, id omne ad alios,ídque forte inimicos, transiisse conspiciet.

Noscimúsne quot agri, quot ædes,nationes, ciuitates viuentibus etiamnum possessoribus, aliorum nomina dominorum induerunt? quódque etiam qui longa seruitute preßi fuerant,ad summam imperij dignitatem conscenderunt? qui verò domini heríque appellabantur,sibi satis esse duxerunt,si vnà cũ subditis cõsisterent,suísque ipsorum nonnunquã seruis repente, vt in talorum vicißitudine rebus mutatis,succubuerunt?

Ex Hexahemero. Quandocunque fœnum eiúsque florem conspicere te contigerit, humanæ tibi conditionis in mentem veniat, imaginis illius prudentis Esaiæ minime oblitus: Quia omnis caro vt fœnum, & omnis glo-

Esa. 40 „ ria hominis vt flos fœni. Vita siquidem breuitas,parúmque diuturna humanæ prosperitatis hilaritas ac oblectatio, aptißimam ab ipso propheta imaginem nacta est.

Qui hodie vigenti florentíque est corpore, egregiè curata cute, eleganti nitidóque colore præditus, ætatis feruore lasciuiẽs, acer, effræno impetu feruidus, cras ille ipse miserandus aut senio tabescet, aut morbo consumetur.

Hic forte aliquis est facultatum copia cõspicuus, adulatorum circunseptus multitudine, fictorũ amicorum in illius se gratiam insinuantium caterua stipatus, longum consanguineorum comitatum cúmque simulatorum ducens, examénque insequentiũ famulorũ, tum eorum qui cibos apparãt, tum etiam eorum qui cæteris munijs destinati illi adstant, quos & progrediens & regrediens post se trahit, indéque nõ paruam sibi apud illos in quos incidit, sui inuidiam conflat.

Adde etiam diuitijs ciuilia munera, aut decretos illi à regibus honores, aut gentium procurationem, aut in exercitus imperium, præeuntem grandéque personantẽ præconem, lictores hinc inde grauißimum subditis timorem incutientes, verbera, proscriptiones, abductiones ad supplicia, vincula, quibus maxime subditis ingens colligitur metus.

At quid tum postea? vnica nox, vnica febris, laterum morbus, pulmonis exulceratio, abreptum ex hominibus hominẽ de repente tollit, denudato protinus illius tabernaculo: atque omnis illa gloria, vt insomnium euanescit. Itaque humanæ gloriæ similitudinem propheta imbecilli floris imagine adumbrauit.

Ex conc. ad Diuites.

Verùm quam nobis perbellem ac speciosam suæ parsimoniæ excusationem prætexunt ij qui attoniti huius vitæ rebus adeò inhiant? Non vendo mea, neque do pauperibus, ad necessarios vitæ vsus ea mihi reseruans. At vbi his dum vixero, frui mihi licuerit, moriēs, pauperes omnium quæ mihi supererunt, hæredes scribam.

Cum inter homines non amplius ages, tum homi num amans in eos liberalitatem exercebis? Cū mortuum te videro, tum te fratris amantem nominabo? Habenda sanè tuæ tibi munificentiæ est gratia, qui in tumulo iacens, atque in terram redactus, adeò sumptuosum magnanimúmque te præstas.

Cuius, quæso, temporis mercedem exiges? illiúsne quo vixisti, an illius quod finita vita consecutum est? At quo tempore in delicijs viuebas, mollitiéque & omni voluptatum genere diffluebas, ne pauperum quidem conspectum ferre poteras. Mortui verò quænam tibi actio, quodnam operæ præmium debetur? Profer opera, atque ita demum mercedem reposce. Nemo dirempto iam mercatu, negociatur: neque post certamina accedens, corona donatur: neque post prælium, strenua edit facinora quispiam. Post obitum igitur neque pietatem exercere potuerit aliquis. Nam si atramento & literis profitearis te in pauperes beneficia collaturum, quis hinc emigrandi tempus tibi prænunciabit? Quis sponsorem se præstabit, hoc vel illo mortis genere te moriturū? Quot hominibus violentis casibus è medio abre-

ptis, ne vocem quidem edere vi eius mali quod perpetiebantur, concessum est?

Quid diem illum opperiris, quo tuis cogitationibus imperandi tibi non erit facultas? Nox alta, morbus grauis, adiutor nusquam. Deinde coniectis huc atque illuc oculis, & agnita quæ te circunstat solitudine, tum senties imprudentiam tuam, tum dementiam tuam lugebis. Vide in quodnam tempus præcepta reseruabas, interim dum viuebas voluptatibus indulgens: mortuus verò, mandata perficiens. Dum viuebas, plus tibi quàm præceptis tribuebas: post obitum verò præcepta inimicis anteponis. Videlicet Christus iubet, Ne hic accipiat, illū accipere. at quid istud? Hostiū'ne vltio an proximi charitas?

Ne igitur eorū qui hinc excedunt, maximéq; piorum sortem lugeamus, sed natalitia potius atque in hanc vitam ingressum. Noster siquidem in hunc mūdum introitus, indecorus plane est, ac sordium fœtidíque odoris plenus, quorum ne spectaculum quidem facile tulerit nostrûm aliquis, licet eandem vitæ viam præïerit. Ex cōm. in cxv. psalm.

Talibus enim initijs introeundā esse corpoream hāc natiuitatem, necessaria naturæ lege sancitū est. Hinc verò exitus atque liberatio honorifica præclaráque est, non omnium tamen hominum, sed eorum qui innocēter iustéque vixerūt. Gloriosa enim
" *mors, non gloriosa hominum natiuitas. Nam semi-*
" *natur, inquit Paulus, in ignobilitate, surgit in glo-* 1. Cor. 15.
" *ria: seminatur in corruptione, surgit in incorruptio-*

ne. Quando etiam in Iudæorum lege interibant homines, detestabilia erant eorum cadauera: quando verò pro Christi nomine obitur mors, preciosæ sunt sanctorum eius reliquiæ.

Priusquam eius promulgaretur lex, sacerdotibus
Exo.11. „ *ac Nazaræis dicebatur hoc, Non contaminabitur*
„ *quispiam propter mortuum. atque illud, Si quis mor*
Num. 19 *tuum attigerit, immundus erit. illud etiam, Ipsius*
Exod. 11 *lauabis vestimenta. Nunc verò qui vel vnicũ martyris os contingere potuerit, quandam sanctimoniæ partem ex aßidente ipsi corpori gratia sibi colligit.*
Psal.115 „ *Preciosa enim in conspectu domini mors sanctorum*
„ *eius. Natiuitati igitur obitum confer, túmque desine eum deflere qui huius seculi ignominia sit defunctus.*

Ex conc. in mart. Iulittã. Rom. 15 *Cum iustis enim exultare, simúlque lætari, diuinus nobis sermo permittit: eos verò qui pœnitentiæ ardore lachrimas emittunt, nostris etiam fletibus luctúque prosequi atque comitari iubet: eos quoque qui scelerum suorum conscientia non commouẽtur, deflere, quòd quo se modo perditum eant, non agnoscant. Neque verò is qui hominum mortem vnà cũ lugentibus deplorat, mandata adimplesse existimandus est. medicum enim minime laudauero, qui ægrotantibus opitulari dum debet, plurimis se morbi generibus opprimi sinit.*

Ex cõ de Inuid. *Sic etiam Dauid cum amicißimum sibi Ionathã*
„ *lugeret, hostem quoque suum vnà defleuit, Doleo su*
2.Reg.1. „ *per te, inquiens, frater mi Ionatha: &, Filiæ Hieru-*

" *salem flete super Saul. Hunc siquidem vt in peccato mortuum: Ionatham verò, vt cuius consuetudine dum vixit, familiariter vsus fuerat.*

Homines enim mors inuadit, vbi huius vitæ curriculi metas attigerunt, quas iustum iudicium dei, longe vtilitati nostræ prospicientis, vnicuique iam ab initio præfixit. Ex conc. quòd de° malorũ auctor non sit.

At filij charissimi mors, animum tuum dolore opprimit. Quisnam, quæso, est adeo saxeo corde præditus, aut omnis ita prorsùs humanitatis expers, vt hoc casu non commoueatur? eiúsque animus leni solum perturbatione occupetur? Splẽdidæ domus hæres, generis familiæque columẽ, patriæ spes, piorum parentum fœtus, mille votis enutritum, ætatis flore fruens, è medijs parentum manibus ereptus abit. Cuius non adamantis naturam ista dissoluãt, atque ad doloris societatem non traducant? Verùm enimuero si ob ea quæ accidunt, quiritari atque flere volumus, totius vitæ non suffecerit tempus: neque si vniuersi nobiscum mortales gemant, efficere possint vt à fletu mœstitiáq; abstineamus: quinetiam & fluuij omnes, si in lachrimas conuertantur, nõ habeant vnde hominum miserias satis deflere possint.

Quapropter vt strenuum bellatorem moneo, vulneris acerbitatem firmissimè sustinere, neque mœroris succumbere grauitati, neque illius faucibus absorberi animum sinere: cum id persuasum esse debeat, licet rerum à deo administratarũ consilia ignoremus, nihilominus tamen quicquid à sapiente illo

nostrique amantissimo gestum fuerit, id æquo animo quantumuis laboriosum sit, suscipiendum esse. Ipse enim nouit quomodo de eo quod vnicuique cõferti, sibi statuendum sit, quáque ratione inæquales nobis vitæ fines ac terminos constituat. Causa enim nonnulla subest, quæ à mortalibus comprehendi minime potest, cur alij quidem hinc abducãtur citius, alij verò calamitosæ huius vitæ ærumnis diutius relinquantur.

Itaque ipsius humanitatem ac clementiam imprimis adorare debemus, neque quidpiam, quod accidat, ægreferre, magni illius celebrísque dicti memores, quod summus ille athleta Iob protulit, cùm in vna mensa decem filios accumbentes, breui „ temporis momento morte interceptos vidisset, Domi-
Iob.1. „ nus dedit, dominus abstulit, vt domino placuit, ita „ factum est.

Egregium istud Iob miraculum vsurpemus, nostrúmque efficere conemur. æqualis nempe merces ab æquissimo iudice his proposita est qui eadẽ quæ ille strenua facinora edunt. Nequaquam filio priuati fuimus, sed ei à quo mutuò illum acceperamus, reddidimus. Nequaquam eius euanuit vita, sed in melius commutata est. Nequaquam charissimum occulit terra, sed eum cælestis excepit regia. Paululum opperiamur, atq; desiderati à nobis præsentia consortióque fruemur.

Neque verò longo temporis interuallo sese homines à tergo relinquunt, qui quidem in hoc vitæ cur-

riculo, vt in itinere, ad idem properant diuersorium: in quo hic quidem præcedit, hic subsequitur, ille verò post alios festinat. omnes autem vnus tandem finis excipit. Nam si ille citius viam confecit, omnes tamen eandem nos calcabimus, atque omnes idem manet diuersorium.

Recordare patrẽ tuum, aliquando mortẽ obijsse: quid igitur mirum, cùm à mortali genitus sis, liberos si mortales genueris? Illud verò, ante tempus, priusquam huius eum vitæ cepisset satietas, antequam constantem ætatem attigisset, aut sui seculi hominibus esset conspicuus, nequedum adita parentũ hæreditate: hæc omnia dolorem augere non debent, sed huius casus hæc sit consolatio, quòd orbos hìc liberos non reliquit: quòd cõiugem diuturnæ anxietati obnoxiam non dimisit, aut alteri viro ducendam, priorísque thori liberorum negligentem. Conqueri verò quòd longior puero hæc vita minime concessa sit, quis adeò sine iudicio est, vt id pro summo bono habendũ esse non existimet? Nostra enim diuturnior hìc commoratio, malorũ nobis plurium occasio est.

Quid non longè antè assueuisti, mortalia cogitare de mortali, sed vt inexpectatam tui filij mortẽ excepisti? Quando tibi primum ille natus esse nunciatus est, si te interrogasset quispiam, quid illud esset quod partũ fuerat, quid tum respondisses? aliúdne dixisses quàm natum esse hominem? At verò si homo est, mortalis quoque vt sit consequens est.

Quid igitur admirabile & inauditum est, si mortalis mortem oppetiuit. oriri atque occidere solem non vides? non cernis augeri lunam, deinde deficere? non terram virescere, deinde prorsus desiccari. Quid igitur mirum est, si nos cum huius orbis structuræ pars simus, huius etiam naturam imitemur?

Filij charissimi, aut gratissimæ suauissimæque cõiugis orbitas, aut alterius cuiuscũque earum rerum quas impensè adamamus, quæque omni beneuolentiæ vinculo nobis coniunctæ sunt, minime grauis atque intoleranda sese offeret illi qui eam longè antè prouidit, quique rectam rationem suæ vitæ ducem sequitur, neque se consuetudine quadam duci permittit. nam rei consuetæ interruptio, brutis etiam ipsis molestissima esse consueuit. Equidem aliquando me videre memini, bouem mortuo sibi cõpascuo & coniuge, ad præsepe lachrimantem: cætera quoque bruta consuetudine vehementer moueri cernere perfacile est.

Verumenimuero non mihi silentio prætereundũ esse duxi, quod mihi in mentem venit, illius nempe matrem, sermonem ad te suum conuertere potuisse, noui enim qualis est mulierum in liberos affectio: atque apud me reputo quãtos hac in re dolores excitari par est.

Filium amisisti, quem superstitem nullæ non matres beatum iudicarunt, cuique similes esse suos exoptarunt: mortuum verò, non secus ac si vnaquæque suum sepelisset, luxerunt. Illius interitus, com-

mune toti patriæ vulnus fuit: vnà cum illo illustris nobilißimæque familiæ genus, dirutis veluti fundamentis concussum, collapsum est. O fortunæ sinister euctus: quàm atrox tibi licuit facinus committere? O terra tanti doloris occasionem excipere coacta. Si quis sanè soli fuisset sensus, ad mœstum illud spectaculū statim cohorruisset. At verò quis ea satis abundè verbis expresserit, quæ desperati penè animi indignatio & anxietas subministrat?

Verumenimuero nequaquam fortuitæ sunt, vt
» ab euangelio didicimus, res nostræ, quia neque paf- *Matt.* 10
» serculus absque patris nostri volūtate cadit. Itaque
si quid nobis accidit, eius qui creauit nos voluntate
» accidit. Dei verò voluntati quis restitit? *Rom.* 9.

Æquo igitur animo feramus quod contigit. Etsi enim id ægre ferimus, præterquam quòd rei euentū non emendamus, nos ipsos etiam planè perdimus. Ne iustum dei iudicium accusemus. Imperitiores ac rudiores sumus, quàm vt ineffabilia eius iudicia exquiramus. Nunc tuæ erga se pietatis probationē sumit dominus. Iam nunc tibi licet per patientiā cum martyribus partem sumere.

Maccabæorum mater suorum septem liberorū *2. Mac.* 7 necem vidit, quæ nullis eos suspirijs, sed ne effusa quidem muliebrium lachrimarum guttula prosecuta est: sed deo gratias agens, quòd eos igni, ferro, grauißimísque supplicijs, corporeis cernebat vinculis liberatos, acceptißima quidem deo, celebríque hominum commendatione digna iudicata est. At acerbus

is est casus: tibi ego quoque assentior. verùm magna æquo animo tolerantibus à domino merces reposita est. Cùm peperisti, natúmque tibi infantem conspexisti, ac deo gratias egisti, non ignorabas, mortalis cùm esses, mortalem etiam te genuisse. Quid igitur mirum est, si obijt mortem mortalis? Sed nos afficit molestia, quòd intempestiuè moriatur. Incertum planè an non opportune id acciderit: quippe nos & quæ animis nostris conferunt eligere, humanæque vitæ limites præscribere nō probe callemus.

Vniuersum hunc quem inhabitas mundum circunspice, atque cogita horum omnium quæ cernis, nullum immortale, nullum ab interitu esse liberum. In cælum oculos conuerte, hoc etiam tandem aliquando dissoluetur: contemplare solem, neque hic est duraturus perpetuo. Astra omnia, animalia terrestria & aquatilia, omnis terræ decor, ipsa etiam terra, fluxa caducáque omnia, quorum paulopost ne extabit quidem vllum.

Horum igitur cogitatio, aduersum tuum consoletur casum. ne ex sese quem pateris dolorē metiaris, ita enim tibi intolerabilis videretur: sed facta illius cum cæteris rebus humanis comparatione tibi inde consolationem inuenies. Denique verò, id tibi quod dicam habeo præcipuum: Habe chari coniugis rationem, consolemini vos mutuo: ne dolore teipsam exhauriens, acerbiorem illi calamitatem efficias. Nimia enim filij tui charitas suspecta nobis est, ac veremur, ne morum ingeniique mollitie tandē an-

gori te ita dedas vt altam ex eo plagam accipias.

Nam nullum eorum quæ nobis accidunt, molestè grauitérque ferre debemus, licet imbecillitatē quæ nobis nunc inest, non parum concutiat. Nam quanuis causas ignoremus cur eorum quæ fiunt vnumquodque nobis à domino vt bonum inuehitur, attamen persuasum habere debemus, id quod factum est omnino conferre, vel nobis propter patiētiæ mercedem, vel migranti animæ, ne si tardius hanc vitam reliquisset, adhærentibus isti seculo sceleribus impleta fuisset.

Nam si huius vitæ limitibus Christianorum spes circunscriberetur, non iniuria graue censeretur, isto corpore solui citius: sin ijs qui ex dei præscripto viuunt, veræ vitæ initium est, corporeis istis vinculis animum liberari, quid spem non habentium more tristitia afficimur?

At viri amantißimi priuatio facit vt tua tibi sit intoleranda calamitas: neque ego inficias eo. Nam in optimi illius viri iactura, peracerbum esse casum, nemo est qui ignoret. Nullus enim duro adeò atque inhumano est ingenio, si eius consuetudinis aliquando periculum fecerit, atque mox è medio sublatum audierit, quin illius ereptionem commune totius reipub. damnum existimet.

Si verò ijs quibus nulla cum eo intercesserat familiaritas ac neceßitudo, ita grauis atque acerbus is videtur euentus, quo tandem dolore animū tuum distēdi iudicabimus? qui quidem in amicißimi vi-

ri demortui ſeparatione, quandam veluti ſui per medium diuulſionem ſentire videri poſſit. Huiuſcemodi *enim ſeiunctio, non minus doloris nobis adfert, quàm ſi dimidiatam noſtri corporis partẽ quis auelleret.*

Verumenimuero *talia ſunt illa quidem aſpera, híſque etiam aſperiora: horum verò quænam eſſe poteſt conſolatio? Illa nimirum quæ iam ab initio obtinuit,* Dei *noſtri lex, prorſus oportere eũ qui natus ſit, præfixis ſibi temporibus vita hac excedere.* Igitur *ſi iam inde ab* Adamo *ad noſtram vſq; ætatem ita ſeſe res humanæ habuerunt, ne communibus ipſius naturæ caſibus offendamur: ſed rerum noſtrarum à domino diſpenſationem æqui boníque faciamus.*

Cùm *enim diuinarum ſcripturarum ſemper vtilis ſit adhortatio & doctrina, his certè temporibus vtiliſſima eſt.* Memineris *igitur certi illius creatoris noſtri edicti, quo nos omnes è terra natos, in terram etiam reuerſuros pronunciat: neque magnus adeo eſt quiſpiam, vt ipſam ſuperare mortem poſſit.* Gene. 3.

Ac *formoſus quidẽ ille & corporis proceritate admirabilis erat, & robore nulli cedebat, addo etiam ego ingenij dexteritatem. vt enim in vtroque cæteris omnibus antecellat: verũtamen homo erat.* At*que vt* Adam *mortuus eſt, vt* Noë, *vt* Abraham, *vt* Moſes, *vt quilibet eorum quoſcunque nominaueris eiuſdem naturæ participes.* Hominem *profectò illum, vnicũ naturæ humanæ exẽplar, creauit ſum-*

mus omnium nostrûm opifex. Itaque omnium in se oculos coniectos habebat: omnis lingua nullo alio quàm eius laudibus personabat. pictores atq; plastæ in eo exprimendo, longe ab eius imitatione aberant. Historicis verò ipsius egregia virtutis facinora narrantibus, vt fabulosis nō creditur. Quo fit vt neque rumori tristißima nuncia circunferenti, fidem adhibere hominum maior pars velit, neque sibi omnino persuadere talem tantúmque periisse virum: nihilominus tamen hæc ipse passus est, quæ cælo, atque soli, terræque tandem aliquando accident. Ita igitur hunc dolorem moderare, vt neque hūc ab animo tuo eiicias, neque consumi te præ mœrore sinas. Eos autem, qui dum viuunt, mutuò coniungun tur, ac postea morte separantur, viatoribus cogita non esse absimiles, vnam & eandem euntibus viā, & propter diuturnam conuersationem arctißima neceßitudine coniunctis, qui vbi confecta communi vtrique via, eam deinceps bifidam deprehenderint, neceßitate iam tum vtrunque separante, initæ toto itinere consuetudini nō diutius inhærentes, neglectis præsentibus rebus, suscepti ab initio itineris causam memoria repetentes, ad suum quisque finem properat.

Vt igitur diuersus quidē illis viæ scopus erat, atque inter eundum orta est inter illos ex consuetudine familiaritas: sic etiam connubio mancipatis, aut alia quadam vitæ communicatione cōiunctis, proprius vitæ finis propositus est: inter se verò copula-

tos, præstitutus vitæ limes necessario seiunxit atque dissoluit.

Candidæ verò probæque mentis ille est, qui à sibi necessitudine quadam coniuncto separatus, iniquo id animo non fert, sed ei qui hoc eum consortio sociauit, ob coniunctionem gratias habet. Tu quoque ibidem cum tibi superstes esset vir tuus, aut infantulus, aut quodlibet eorum quæ nunc lamentaris, ob ea quæ tibi aderant, datori non habebas gratiam, sed illi pro his quæ deerant supplicabas: nimirum si absque prole cum viro degebas, quòd tibi nō essent liberi quos volebas, conquerebaris. Si verò tibi erat soboles, quòd non ditesceres, clamitabas.

Vide igitur ne nos aliquando, dum præsentia minime sentientes præterita desideramus, necessariam amicissimorum hominū iacturam nobis ipsis asciscamus. Quoniam enim dei beneficijs circunsepti, gratias illi non agimus, eripiantur nobis amici vt ea sentiamus necesse est.

Vt enim oculi quod proximè obiectum est minimè perspiciunt, sed ad videndum moderata intercapedinis proportione indigēt: sic etiam ingrata ingenia acceptum beneficium non nisi ipsius amissione agnoscere consueuerunt. Cum enim suauioribus fruerentur, nullam ipsi benefactori gratiam habebant: his priuati, quod præterierat summe beabant, inuidíque quærebant.

At nos tandem relictis doloribus quos ob ea quæ nobis desunt, cōcipimus, de his quibus fruimur, gratias

tias agere doceamur. Dicamus sapienti medico in
» grauioribus rerum euentibus, In tribulatione par-
» ua tua nobis est disciplina. dicamus, Bonum mihi Psal. 118.
» quòd humiliasti me. Dicamus, Non sunt condignæ Rom. 8.
» paßiones huius seculi ad futuram gloriam quæ re-
» uelabitur in nobis. Dicamus, Parum ob peccata no
» stra flagellati sumus. Dominum obsecremus, Argue
» nos domine, at in iudicio, non in furore tuo. Repre- 1. Cor. 11.
» hensi enim à domino castigamur, ne cum hoc mũdo
» condemnemur. Dum autem hilariorem vitam hisque ærumnis liberam degere nobis datur, præclarũ
» illud Dauidis dictũ vsurpemus, Quid retribuemus Psal. 115.
» domino pro omnibus quæ retribuit nobis? Rectè nimirum dubitante propheta, suámque inopiam considerante, quòd nihil haberet quod dignum rependere posset ei qui cùm adeo splendidis ac ingentibus beneficiis longéque cæteris alijs præstantioribus hîc nos ornarit, multo copiosiora nobis in posterum bo-
» na promittit, quæ oculus non vidit, nec auris audi- 1. Cor. 2.
» uit, & in cor hominis non ascenderunt quæ præpa-
» rauit deus diligentibus se. Quæ vtinam nos corporeis his affectibus repurgati consequi etiam valeamus, per gratiam ac humanitatem domini nostri Iesu Christi, cui gloria, & potestas, nunc, & semper, & in secula seculorum. Amen.

DE TRISTITIA ET ANIMI *deiectione,* Concio XII.

Ex Epist. SI QVANDO videre me *contigerit improborum hominum res prosperos habere successus: vestram verò affligi pietatem, aßiduísque doloribus ac cõtumelijs defatigari, animum despõdeo: at cùm rursus summam illam dei potentiam considero, quódque nouit elisos ac prostratos erigere, diligere iustos, superbos conterere, atque de sede deponere potẽtes, mutata iterum sententia spe meliori confirmor.* Certo *enim mihi persuasum est, de quo etiam neque vos addubitare velim, dei nobis adfuturum breui auxilium, neque nos prorsus ab eo derelictos iri.* Nam *quæcunque paßi fuimus, propter peccata nostra hæc nobis acciderunt.* Humani *verò generis studiosißimus fautor ille, propter eam qua seruos suos prosequitur charitatem ac misericordiam, auxilium suum exeret.* Si*ue enim peccatorum pœnas pendimus, ad compescendam in posterum dei in nos iram, ista sufficiunt supplicia: siue ad ineunda pietatis nomine certamina, per has tentationes vocati fuimus, adeò sanè iu*
1.Cor.10. *stus est præmiorum dator, vt non sinat nos tentari supra id quod possumus, imo ob eas quas tulimus*

afflictiones, patientiæ atque in ipsum spei coronam nobis decernat.

Quis enim animo est adeò adamantino? quis ita prorsus inhumanus atque ferus est, qui si ambientia vos vndequaque suspiria, veluti à tristi quodã choro lugubre carmen communibus consentientibúsque vocibus resonante audierit, non statim dolore afficiatur, atque in terram decuruetur, ac ingentibus his molestijs prorsus non intabescat?

Hæc autem dico, non quòd vos consolari coner. quæ enim adeò copiosa atq; efficax inueniri queat oratio, vt huius calamitatis acerbitatem ne dicam eluere, sed ne lenire quidem poßit? sed vehementem animi mei dolorem his verbis exprimere, vobísque significare contendo. Mecum enim ipse reputaui diaboli in oppugnando artificium, qui postquam hostium in vos contumelijs augeri magísque florere vestram vidit virtutem, mutato demum consilio, non amplius aperto marte præliatur, sed clam insidias nobis collocat, suum contegens subdolum commentum eo nomine quod etiam hostes circunferunt: vt & eadem quæ patres nostri patiamur, neque pro Christo pati videamur, quòd Christianorum etiam nomine insigniantur hi qui nos persequuntur.

Ista profectò non vulgarem nobis perturbationẽ attulerunt, parúmque abfuit quin quid nobis esset cogitandum, prorsus ignoraremus. Subijt verò dum hæc animo volueremus illa quoque cogitatio: ser-

uós ne suos plane deseruit Dominus? extremáne in-
2.Thes. 2. » *stat dies? atque per isthæc scelera inchoatur illa de-*
» *fectio, vt deinceps reueletur ille iniquus, filius per-*
» *ditionis qui aduersatur & extollitur supra om-*
» *ne id quod dicitur deus, aut quod colitur? verùm*
» *siue ad tempus illa est tentatio, vt strenui Christi milites, ipsam sustineatis: siue etiam, vt intercidant omnia pereántque, decretum est, rerum præsentium anxietate ne afficiamur: sed reuelationem de cælo, magníque dei & seruatoris nostri Iesu Christi aduentum expectemus. Nam si quicquid creatum est, soluetur tandem, ac huius mundi figura transmutabitur, quid mirũ si nos qui pars mundi creati sumus, communia etiã omnibus patimur, atque afflictionibus tradimur, quas pro vniuscuiusque virium modulo nobis iustus dispertiuit iu-*
1.co.10. » *dex, non permittens nos tentari supra id quod pos-*
» *sumus, sed dans etiam cum tentatione prouentum,*
» *vt eam ferre valeamus.*

Ne igitur defatigemur ô fratres: martyrum enim nos manent coronæ, confessorum chori manus nobis porrigere iam parati sunt, nósque in suum numerũ assumere. veterum nobis sanctorum in mentem veniat, quorum nullus molli delicatóque vitæ genere, neque assentatorum blanditijs patientiæ coronam meruit: sed omnes acerbißimarum afflictionũ igne examinati, suæ fidei probationem speciménque ediderunt.

Beatus profectò ille, qui dignus habitus est vt

*pro Christi nomine patiatur: beatior verò qui quã-
plurimis eiusmodi calamitatibus exercetur, quo-
„ niam non sunt condignæ paßiones huius seculi ad* Rom. 8.
*„ futuram gloriã quæ reuelabitur in nobis. Qui enim
afflictionibus non succumbit, sed firma in deum spe
fretus, tristitiæ pondus haud imbecillo fert animo,
is sane maximum habet propositum à deo patientiæ
suæ præmium.*

*Quemadmodum igitur tenerioribus lignis inge-
nerantur vermes vt plurimum, sic mollioribus ho-
minum moribus tristitia innascitur, in eísque altio-
res agit radices. Nec verò mulieribus, neque viris
effusior ille luctus fletúsque permissus est: sed eous-
que tantũ, vt ob res molestas tristari, & lachrima-
rum nonnihil effundere licuerit. ídque etiam tacitè
nobis est faciendum: neque verò vociferandum, ne-
que eiulandum, non dilaceranda vestis, non capiti
puluis infundendus, neque indecorè agẽdum quid-
piam eorum quæ ad humanos casus ferendos male
instructi factitare consueuerunt. Effœminati quip-
pe animi est, nullúmque in dei spe locum habentis,
molestis huiuscemodi euẽtibus vsqueadeo frangi ac
succumbere.*

Ex cõde gratiarũ actione.

*Lachrimæ siquidem, ex repentino aduersi casus
impetu animum lacessente ac comprimente, constri
cto eo spiritu qui cor ambit, veluti è fonte quodam
exoriuntur atque nascuntur: Lætitia verò est animi
ob euentum rerum expetitarum se efferentis alacris
quædam veluti exultatio. Vnde fit vt aliæ atq; aliæ.*

corporis affectiones existant. His nempe qui mœrore afficiuntur, subpallida, liuida, aridáque est cutis moles: hilarescentibus verò, efflorescens, subrubicundúsque est corporis habitus, tantum non exiliẽte animo, atq; ad id quod exterius est voluptatis causa propulso.

Ac nouimus permultos qui desperatißimis calamitatibus oppreßi, adeò sibi violenter imperarũt, vt ne lachrimulam quidem effuderint: quorũ deinde alij in immedicabiles prorsus morbos, apoplexias aut paralyseis, incidère. alij verò viribus suis, vt imbecillo fulcro, doloris pondere fractis, penitus interierunt.

Nam sicut flammam videre licet à sui ipsius fumi obuolutione suffocari, si huic obstruitur exitus: sic etiam in naturali illa animantium dispensatrice facultate, accidere ferunt: tabefieri enim eam atque extingui, cùm omnino interclusa est illi ad exteriora perspiratio.

Ioan. 11. *Cur autem Lazari causa Christus fleuerit, nisi omnino vt querulorum luctúsque amantium hominum nimiam in dolendo commotionem abiectionémque corrigeret ac emendaret? Quòd enim non commotus aliqua perturbatione Christus dominus noster, sed nos docendi causa, illachrimauerit, hinc " liquet: Lazarus amicus noster dormit, sed vado vt " exuscitem eum.*

Quis verò nostrûm, amicum luget dormientem, " quem paulopost expergefacturum se sperat? Lazare

„ veni foras: & statim qui fuerat mortuus vitæ restitutus fuit: qui vinctus erat deambulauit. miraculum miraculo additum, sepulchralibus implicari pedicis, neque impediri deambulationem. Plus enim virium erat in corroborante ac confirmante, quàm in impediente.

Quomodo igitur qui talia erat præstaturus, hũc casum dignum qui lugeretur, duxit? nonne huic constat quòd imbecillitatem nostram vndequaque fulcire volens, finibus quibusdam ac modis necessarios circumscripsit affectus, inclementem, vt ferinum, immanémque deuitans: luctuosum verò ac mœrori deditiorem, vt minime generosum respuens? At verò Iob, quid? Nõne illi adamantinum erat cor? Nõne è silice fabrefacta habebat intestina? Breui temporis momento, illi decem liberi perierunt, vno ictu contusi, ídque in plena hilaritatis domo, eo tempore quo maxime oblectandi videbatur esse facultas, deturbante ædes in eos diabolo. Vidit mensam sanguine conspersam, vidit liberos, diuersis quidem temporibus in hanc lucem editos, eadem verò hora simul omnes ex hac subductos, neque ingemuit tamen, nec sibi capillos auulsit: nullam nõ generosam vocem emisit, sed celebres illas atque ab omnibus decantatas gratiarum actiones pronunciauit, Dominus dedit, dominus abstulit, vt domino placuit ita factum est. sit nomen domini benedictum. Iob. 1.

Erát ne is omnino immisericors homo? At quomodo? cum is de se ipse pronunciet, Ego fleui super Iob. 16.

» *omnem afflictum. sed cùm hæc diceret, mentiebatúrne? Atqui de eo testificatur veritas, quòd præter*
Iob. 1. *cæteras virtutes quibus abundabat, verax etiam* » *erat. Vir enim erat, inquit, simplex, & rectus, ac ti*» *mens deum, & recedens à malo. Verùm hominum plerique quibusdam elegijs ad mœrorem accommodatis lamentantur, suúmque animum tristibus student carminibus tabefacere: & quemadmodũ tragœdi peculiari quodam apparatu atq; ornatu theatra sua obducere solent: sic arbitrantur in eum qui luget aptißimè cõuenire pullam vestem, squalidam horridámque comam, domi tenebras, sordes, puluerem, & lugubre carmen, acerbum doloris vulnus animo semper renouans: nescientes quòd vbi semel anima conditoris sui capta est desiderio, earúmque rerũ quæ illic sunt pulchritudine exhilarari assueuit, inæstimabile illud gaudium summámque illam alacritatem, corporearum perturbationum vicißitudine non mutabit, imo quæ cæteris sunt molesta, illa hæc pro lætitiæ additamento sibi vsurpabit.*

Ex conc. infame & sæcitate. *Vt enim qui oculorum imbecillitate laborãt, ab his quæ splẽdidißima sunt, visum abducentes, floribus ac herbis eum recreant ac refocillant: sic oportet mentis aciem tristium rerum spectaculo non esse perpetuò intentam, neque præsentibus incũbere molestijs, sed ad earum rerum quæ verè bonæ sunt, contemplationem oculos suos circunducere.*

Ex com. in 33. Psa. *Molestiæ siquidem animum, vt ignis aurum, probãt: atque illis re vera qui se rectè compararunt, af-*

flictiones sunt veluti in athleticis exercitationibus, commeatus quidam, pugilem ad paternæ gloriæ culmen conscendere facientes.

Nimia verò mœstitia, peccati parit occasionem, quòd mentem planè submergat, atque desperationis ingeneret vertiginem: desperatio verò ingratitudinem procreet. Ex cō. in fame & siccitate.

Turpe est igitur nos prosperiores suauioresq; laudare successus, tristiores verò ac laboriosos silentio præterire, cùm eò maiores habēdæ sint gratiæ, quòd non ignoremus à deo castigari cum quem ipse diligit. Castigat autē omnem filiū, qui ipsi acceptus est. Ex cō. in 33. Psal. *Hebr. 12.*

Itaque sanctos suos deus ab afflictione liberat, quos neque improbatos deserit, sed illis patientiæ donum gratificatur. „ *Si enim tentatio patientiam operatur, patiētia verò probationem,* „ *qui afflictionem à se abstulit, probatione etiam seipsum priuauit. Quemadmodū igitur nemo absque certaminis aduersario coronam meretur: sic neque probatus quispiam exhiberi, nisi afflictionibus potest.* *Roma. 5.*

Ab omnibus igitur calamitatibus ipsos eruet, nequaquam eos opprimi sinens: sed vna cum tentatione ferendi etiam vim facultatémque largitur. Qui verò afflictionem iusto minime conuenire asserit, nihil aliud dicit quàm athletæ non congruere aduersarium cum quo decertet. 1. Cor. 10.

Quoniam verò dolore affectis consolationē adfert suspiriorum communicatio, afflictorum ærumnis ingemiscere consentaneum est. Ita enim ipsorum Ex conc. cōtra calum. nos quòdtres deos dicamus.

tibi beneuolentiam conciliabis, si suis incommodis te minime oblectari, atque aliena mala non súsque déque habere senserint. Neque *tamen vltra quàm par est vnà cum his abripi te sinas, ita vt cum afflicto aut simul vlules, aut simul lugeas, aut in alienis casibus imiteris omnino eũ qui præ dolore nil quærit nisi tenebras, adeo vt cum eo te veluti in carcerem dedas, atque pullis vt ipse vestibus induaris, vnáque desideas humi, cæsariémque negligas*. His *enim augetur calamitas magis quàm minuitur.*

Ex conc. in mart. Iulittá. Sed *rerum euentu morderi te, ac placidè sedatéque malis indolere decet, animíque dolorem vultus mœstitia & seueritate cum grauitate coniuncta significare*. Inter *alloquendum verò, nõ statim in obiurgationem prorumpere congruum est, haud secus ac si in prostratos insilire, eósque proterere ac conculcare velles*. Perturbatis *siquidem præ dolore animis, molesta & importuna admodũ esse solet increpatio*. Atque *eorum sermones, quos aliena nullo modo pungit calamitas, afflictatis ingrati atque ad cõsolandum sunt parum efficaces.*

Ex Epist. Q*uemadmodum enim ad leniendam oculorum inflammationem, quicquid etiam vel mollißimum addideris, dolorem facit: sic etiam ad animum graui quadam perturbatione affectum, oratio quantumuis consolationis plena, molesta quodammodo esse videtur, si feruente adhuc dolore adhibetur.*

Ex conc. de gratiarũ actio. Q*uando autem videris fratrem tuum scelerum suorum pœnitentia lugentem, cum tali tibi flendum*

esse puta. Tunc etenim tibi licet aliena miseria tuā ipsius emendare. Qui enim ob proximi peccatum feruentem vnicam fudit lachrimulam, is eo quòd fratrem defleuit, morbum etiam suum profligauit. Peccato ingemisce: hoc animæ morbus est: hoc eius quæ immortalis est mors est, hoc luctu fletibúsque perpetuis dignißimum. Huius causa, quicquid vsquam lachrimarum est, fluat atque profundatur: nunquam ex intimo corde deficiant emissa suspiria: sic propter eos qui ex populo perierant, flebat Ieremias, cui quidem cùm non sufficerent suppeditatæ à natura lachrimæ, earum sibi perpetuum fontem, atque in solitudine diuersorium precabatur. Ierem. 9.

Pro omnibus autem his gratias agemus Christo deo nostro, cui debetur omnis gloria, honor, & adoratio, simul & æterno eius patri, & sanctißimo viuificantíque spiritui, nunc & semper, & in secula seculorum. Amen.

DE PATIENTIA ET LONGAnimitate, Concio XIII.

Ex conc. de nō adhærendo rebus huius vitæ.

NEMO ex his quæ passus est malis eò delabatur imprudentiæ, vt cogitare & dicere persuadeatur, nulla res nostras prouidentia regi ac gubernari: neque domini administrationem iudiciúmque accuset, sed in egregium illum athletam Iob oculos conuertat, illúmque sibi melioris sententiæ consiliarium adhibeat. Secum ipse reputet omnia ordine certamina, in quibus ille adeo strenuum se præstitit, quótque iaculis à diabolo petitus, nullum vnquam mortiferū vulnus accepit. Priuauit enim eum familiariū & amicorum fausto congressu: eúmque densißimis frequentißimísque malorum nuncijs obruere cōstituit. Nam interim dum prior nuncius hanc calamitatem renunciaret, alter superuenit tristis rerum deteriorum nuncius, atque vicißim sese subsequebantur ac connectebantur incommoda, adeò vt fluctuum insultus imitari ærumnas diceres: & antequam priores conquiescerent lachrimæ, aliarum obtrudebabatur occasio. Ille verò, immobilis veluti quispiam scopulus, firmiter obsistebat, ingruentis impetū tempestatis excipiens, ac vehementem fluctuum violentiam in spumam conuertens, gratam ad Dominum

vocem emittebat, neque horum omnium quæ accidebant dignum esse vllum quod lugeretur, existimabat. Postquam verò nunciauit quispiam, vescentibus ac bibentibus vinum filijs ac filiabus suis, repente ventum vehementem irruisse, atque in eorum capita lætitiæ domum decussisse, tum solùm sua scidit vestimenta, naturalem erga suos affectum exerens, suámque in liberos pietatem ex his quæ fecit testificatus, piísque illis vocibus infelices istos or- Iob 1.
" *nans euentus, dixit: Dominus dedit, dominus abstu-*
" *lit, vt domino placuit ita factum est.*

Ac si talia vociferaretur, Tādiu vocatus sum pater, quandiu ei qui id mihi concessit, collibitum est. sobolis à me coronam auferre statuit: de his quæ ipsius omnino sunt, minime contendo. Domini obtineat voluntas: ipse est qui sobolem procreat atque format: equidem nihil aliud sum quàm ipsius instrumentum. Quid ego seruus cùm sim, hæc frustra ægrè tulerim, atque decretum reprehenderim quod perfringere ac euertere nequeam?

Talibus verborum iaculis vir iustus diabolum conficiebat: vbi verò hunc victorem rursum vidit aduersarius, neque horum quopiam concuti posse, ipsius corpori tentationis admouit machinas: quod quidem cùm incredibilibus affecisset plagis, effecit vt ex eo vermium scaturirent fontes: cúmque hunc sublimi imperij solio deturbasset, in sterquilinio desidere coëgit. Ille verò huiuscemodi doloribus oppugnatus, immobilis constánsque permansit, & dila- Iob 2.

niato cœnóque obducto toto corpore, immaculatum seruauit in secretiore animi parte pietatis suæ thesaurum.

Cum igitur infestissimus hostis nihil haberet amplius quod faceret, antiquarum illi insidiarum venit in mentem, atque mulierculæ ingenium clam
Iob.2. *fraudulentérque subiens, in impietatem maledicentiámq; pertraxit, vt per eam athletæ concutere constantiam posset. Itaque cum longo labore defatigata mulier esset, coram marito adstitit, oculis in terram defixis, manúsque suas ob miserrimum illud spectaculum collidens, ac vberes scilicet pietatis fructus illi exprobrans.*

Ac enumerans illa quidem pristinam suarũ rerum abundantiam, quantísque in malis nunc versaretur subindicans, à qualíque qualem nunc vitæ statum sortiretur, quámq; tot oblatarum victimarum mercedem à domino acciperet, digna muliercularum pusillanimitate verba fundere non desistebat, quæ quidem vel fortissimum quenque perturbare, mentémque quamlibet strenuam de sua sede dimouere potuissent. Errabũda enim, inquiebat, ac famula circunuagor: nuper regina, in seruitutem redigor, atque ad famulorum meorũ manus, si quid ab eis suppeditari mihi possit, respicere cogor. Et quæ olim consueueram in alendis permultis mihi placere, nunc bene mecum agitur, si de alienis miserè alar. Addebat insuper, quòd præstaret ipsum impijs vsum verbis, atq; ita iritato iræ conditoris gla-

dio, hac sese terra excidere, quàm hæc mala fortiter ferentem adiunctum his certaminibus laborem sibíque ac vxori diutius augere.

Ille verò his dictis quàm quouis præteritorũ malorum alio, magis offensus, oculis ira excandescentibus, ad mulierem veluti ad hostem conuersus, ait,
„ *Vt quid quasi vna de stultis mulieribus locuta es?* Iob. 2.
Vanum inquit, ô mulier, tuum illud cõsilium depone. Quousque communem, in his quæ dicis vtrique vitam, iniuria afficis? meam quoque ludificata es. dum me meum interitum non optasse tuis sermonibus criminata es, in eo mediam vitæ meæ partem impiè egisse nũc demum recognoui: quandoquidem nos ambo vnũ corpus per nuptias effecti sumus, ac
„ *tu in blasphemiæ crimen incidisti. Si bona suscepi-*
„ *mus de manu dei, mala quare nõ sustineamus? Memineris eorum quæ tibi vltro sese obtulerunt: meliora peioribus compensato, nullius mortalium vita ab omni parte beata est: prospera firmáque rerum omniũ constitutione perpetuo frui, ipsius, soliúsque dei esse nemo est qui ignoret.*

Tu verò si rerum præsentium statum doles, præteritarum suauitas te consoletur. Nunc lachrimaris, at paulo ante risisti. Nunc te premit inopia, at diuitijs paulo antè abundasti. clarißimum purißimúmque vitæ bibisti laticem, turbidum & inquinatum nunc bibens forti feras animo. Neque enim fluuiorum nitida puráque aqua in totum sempérque ostenditur: fluuius verò est, vt nosti, vita no-

ſtra, perpetuò defluens, aſsiduíſque & ſuccedẽtibus viciſsim fluctibus abundans. Aliqua enim ipſius pars iam antea defluxit, alia etiam nunc labitur: alia iam in ipſis fontium ſcaturiginibus prominet, alia verò mox emerſura eſt. Itaque ad commune interitus mare nos omnes feſtinamus.

» *Si bona ſuſcepimus de manu domini, mala non ſe*
» *remus?* Num iudicem cogere poſſumus, vt eundem nobis rerum ſtatum perpetuò ſuppeditet? Docerénе licet dominum qualiter nobis noſtra tranſigenda ſit vita? Illi profectò liberum eſt de rebus noſtris pro ſua ſtatuere ſententia. Nouit verò pro ſua prudentia famulus quicquid vtile eſt prudenter æquáque lance diſpartire: ne domini iudicium curioſius indageris. His ſolum contentus ſis quæ ſtabili ipſius ſapientia adminiſtrantur ac diſpenſantur. Quodcunque ab eo tibi obuenerit, id animo lubenti accipias. In aduerſis calamitoſiſque ſucceſsibus, oſtẽde te indignam proſperis, quibus fruebaris antea, nõ fuiſſe.

Hæc cum Iob dixiſſet, mulierem ſimul à ſe, diabolíque inſultus expulit, atque victor omnino plenã ei turpitudinis & infamiæ cladem attulit. At verò quid inde exortum eſt? Aufugit ſtatim ab illo morbus qui fruſtra eum tentauerat, nihílque amplius
Iob 42. in illo potuerat efficere, reuiruit in ſecundã pubertatem cutis, refloruit iterũ rebus omnibus vita, atque in ipſius domum duplo copioſiores vndequaq; confluxerunt diuitiæ: tum vt ita ille ſeſe haberet, ac ſi nullius vnquam iacturam feciſſet: tum etiam vt

patientiæ

patientiæ fortitudinísque mercede iustus nullo modo careret.

Erudiatur igitur ad animi fortitudinem vnusquisque nostrûm, illius exemplo qui non solum delapsa in contrarios casus sua sorte, è diuite pauper, è pulchræ prolis parente, vnico momento temporis, orbus effectus, semper idem permansit, strenuam vbique animi prudentiam constanter retinens: sed ne ipsius quidem amicis, qui ad eum consolandum accesserant, insultantibus ille, atque dolorem exacerbantibus, præter modum iritatus est. Ex Epist.

Itaque probandorum animorum gratia aduersi vitæ casus hominibus nonnunquam obtruduntur, vt asperitatibus illis viri probi eluceant, siue diuites, siue pauperes. probantur enim vtrique per patientiam, quæ ea maxime occasione dignoscitur. Ille quidem, suáne in egentes liberaliter distribuat, & fratres sincero charitatis affectu prosequatur: hic verò angrato æquóq; omnia quæ accidũt ferat animo, nec ad vitæ huius vicißitudines quaslibet mutata statim cogitatione, in maledicta atque execrationes prorumpat. Ex conc. ĩ fame & siccitate.

Nauis quippe gubernatorem procella, athletam stadium, exercitus imperatorem acies, fortem ac magnanimum calamitas, Christianum verò probare consueuit tentatio.

Et quemadmodum insumpti labores in certamina ad capiendas victoriæ coronas adducunt: sic etiã facta per tentationes probatio, Christianos ad per- Ex Epist.

fectioris vitæ culmen ducit, modò quæcunque à domino administrata sunt, ea qua decet patientia & cum omni gratiarum actione suscipiamus.

Ex conc. habita in fame & siccit. *Pauper es? ne animum despondeas, sed firma in deum spe nitaris. Num enim inopiam gementē non respicit? Iam illi est in manu cibus, cuius largitionē differt, vt tuæ periculum faciat constantiæ: vt intelligat, an animi tui conceptus, immodestorum atque insipientium hominum sensis sint similes. Illi etenim tantisper dum in ore est cibus, laudant, adulantur, admirabūdi extollunt: sin paulo tardius sternitur mensa, quos paulo antea propter ciborum voluptatem adorabant, eos maledictis quasi lapidibus quibusdam petunt obruúntque.*

3. Reg. 18 *Heliam habuit Carmelus, altißimus atque inhabitabilis mons, desertus desertum. Iusto verò illi omnium vice erat animus, vitæque suæ commeatus, certa in deum spes. Cum autem huiuscemodi vitam ageret, eam tamen fame non finiuit: sed quæ aues rapacißimæ maximæque gulosæ sunt, hæ cibos perferebant, atque alimenta viro iusto ministrabāt: quæ aliena rapere consueuerant, naturā dominico iussu etiam mutarunt, ac panis carniúmque fidæ custodes fuerunt.* 3. Reg. 17

Iuuenem etiam Israëlitam lacus habuit Babylonius, conditione quidem captiuum, animo verò ac cogitatione liberum. Sed quid de eo factū est? Voracißimi quidem leones præter naturam ieiunabant: nutritius verò huius Abacuc cum cibarijs gestante Daniel. 6. & 14.

illum angelo per aërem ferebatur: atq; ne fame iustus premeretur, tantum itineris tum maritimi, tum terrestris, breui temporis momento propheta sublimis confecit, quãtum inter Iudæam & Babylonem intercedit.

At verò quid rursum populus ille deserti, cuius dux fuit & procurator Moses? quanam ratione per quadraginta annos vitam egit atque gubernauit? Nullus illic erat qui seminaret, non bos aratrũ qui extraheret, non area, non torcular, non promptuaria cella: nihilominus insatiua atq; inarata habuerunt alimenta: fontes etiam ibi nunquam anteà scaturientes, sed erumpentes pro necessitate, petra suppeditabat. Num. 20

Tu igitur dum irruit calamitas, strenui illius Iob exemplo fortem te præsta, neque quantumuis vehementi tempestate submergi te patiaris. Nullius earum, quas è virtute comparasti, mercium iacturam facito. Gratiarum actionem vt preciosissimũ quoddam depositum in animo reconditum serua, atque ex ea duplicem voluptatis mercedem accipies.

Atqui non in rerum necessariarum penuria, viri fortis eluceat virtus, sed in summa potius earum abundantia, dum aduersa quæ accidunt, constanter pertulerit. Ex conc. in laudé 21. mart.

Egrotas? bono sis animo, quandoquidem eum quẽ diligit deus castigat. Inopia premeris? lætus & hilaris esto: quia Lazari bonis aliquando fruẽris. Propter Christi nomen afficeris ignominia? beatus es, Ex cõ. in Iv. Psal. Heb. 12. Luc. 16.

quoniam iniusta tibi ignominiæ labes, in angeli gloriam commutabitur.

Ex conc. in mart. Iulittã.

Seruili conditione astringeris? habe etiam eo nomine gratiam, quòd abiectiorem te habeas aliquẽ: habe gratiam, quòd vno aliquo sis superior, quòd in pistrinum ex iudicato minime sis deditus, quòd verberibus non afficiaris. Nemini proculdubio desunt gratias agendi occasiones. Fuste puniris iniuste? futurorum spe bonorum gaudeas. Merito condemnatus es? grato etiam animo id accipe.

Ex conc. quæ vtil. ex prof. libr. capi possit.

Quoniam verò virtutis consentaneæ priscorum virorũ actiones, aut continuata per manus memoria, aut poëtarum vel historiographorũ libris commendatæ, ad nostram vsque ætatem cõseruatæ sunt, ne, quam inde vtilitatẽ decerpere possumus, ea frustremur: quale hoc est: Periclem è foro quispiã conuicijs lacessebat, hic verò ad ea minime attendebat. Itaque toto die non destitit vterque, ille opprobrijs eum innumeris obruere, hic conuicia floccifacere. Deinde cum iam vesper atq; tenebræ eum vix tandem ab illo liberassent, qui lumen accenderet Pericles misit, ne sibi ad philosophiã periret exercitatio.

Rursum, cùm Sophronisci filium Socratem percuteret aliquis, in eius faciem pugnos ferociter impingens, hic non resistebat, sed ira abundè se exatiare debacchantem sinebat, adeò vt tota huic facies intumesceret iam, ac plagis exulcerata appareret. Vbi ergo verberare ille desiit, nihil aliud Socrates fecisse fertur, quàm suæ fronti inscripsisse, quod

statuis solent opifices, Ille faciebat: atque eousque duntaxat vltus fuisse.

In Euclidem *verò Megarensem cùm irasceretur quidam, ac mortem illi minitaretur, eámque sese illaturum iuramento confirmaret, hic contrà iurabat, se profectò placaturum hominẽ, effecturúmq; vt quas secum inimicitias gerebat, deponeret.*

Creditu *verò non admodum facile est illud* Cliniæ, *vnius è* Pythagoræ *asseclis, forte cum nostris dogmatibus conuenisse, nec de industria illum nostra imitatum.* Quid *autem illud erat quod egit?* Cũ *liceret, trium talentorum multa iureiurando se liberare, eã persoluere maluit is, quàm iurare, quãuis deierans minime peierasset.* Audierat, *ni fallor, sanctum illud domini mandatum iuramentum nobis prohibentis.* Atque *hoc* Cliniæ *factum, illi præcepto germanum est:* Euclidis *verò ei quo persequentibus optanda esse bona, neque imprecanda mala nobis imperatum est: adeò vt qui his iam antea fuerit imbutus, non amplius acsi præstari non poßint, ea repudiarit.* Matt. 5.

Contubernale *igitur semper tibi dei mandatum esto, perpetuam tibi dans lucem, & veluti facem præferens, discernendis diiudicandísq; rebus: quod quidem eminus animi tui principatum præoccupans, verásque de singulis opiniones prius informans atque præparans, nullis te casibus alienari atque immutari permittet: sed tota mentis acie præinstructum, veluti quidam vicinus mari scopulus,*

rapidos violentorum ventorum impetus tutò atq; immobiliter sustinere te faciet, in Christo Iesu domino nostro, cui gloria in secula seculorum. Amen.

DE FVTVRO IVDICIO Concio XIIII.

Ex cõ. in mart. Iulittam.

QVANDO *peccandi tibi libido incessit, veniat quæso in mentem illius horrendi & intolerandi Christi iudicij recordatio, vbi excelso sublimíque in solio ille quidem præsidet iudex, creatura verò ad gloriosum illius aductum tremebunda omnis adstat. Singuli autem vt in vitam à nobis actam inquiratur, producemur. Deinceps qui refertam varijs sceleribus vitam traduxit, ei formidabiles quidam truculentíque repræsentantur angeli, candentibus igneísque oculis horridũ intuentes, nílque nisi igneum spirantes: adeo peruersi animo iudicióque deprauati sunt: nocti facie persimiles, præ truculẽtia atque in homines odio. Profundum postea barathrum ostenditur, atque impermeabiles tenebræ, ignísque in obscuritate lumine carens, vrendi quidem vi præditus, lucendi verò facultate destitutus: vermium etiam venenatorum & carniuororum genus quod-*

dam perpetuo comedens, neque edendi ſatietate ſe explens, intolerabiles rodendo dolores inurens. Po- *ſtremo, quæ omnium grauiſſima eſt pœna, opprobrium illud, neque quamlibet longo temporis curſu eluenda infamia.* His *itaque horúmque metu eruditus, à rerum vanarum ſtudio, animum tuum veluti fræno inhibe.*

Qui enim diem illum atque horam ob oculos po- Ex Epiſt.
nit, quo omnis ſuum iudicem circunſtabit creatura, ſuorum factorum rationem redditura, ſempérque de ſua excuſatione in eo iudicio cui imponi nullo modo licet, cogitans, is proculdubio aut nihil prorſus aut minimum peccabit, quandoquidem in nobis ex dei timoris abſentia peccatū oboritur. Quibus verò perſpicua certáque adfuerit ſuppliciorum nobis comminatorum expectatio, his ad imprudenter agendum aut cogitandum, inhabitans dei metus nihil temporis relinquet.

Strenui *etenim dei athletæ, toto vitæ ſuæ curricu-* Ex cō. in
lo inuiſibilibus hoſtibus fortiter obluctati, vbi om- 7. Pſalm.
nes illorum incurſiones ſuſtinuerunt, ad extremum tandem vitæ perducti, ab huius ſeculi principe diligenter penitúſque examinantur, vt ſi in ipſo conflictu vulnera accepiſſe, aut maculas quaſdam peccatíque notas gerere inueniantur, eos ipſe detineat: ſin illæſi atque immaculati reperiantur, vt inuicti, vt liberi, à Chriſto *requietis ſolatio donentur.*

Et *hæc quidem etiam diſcere poſſis à domino, qui*
» *dum ſuæ paſsionis inſtaret tempus dicebat,* Nunc Ioan. 14

» *princeps mundi huius venit, atque in me habebit*
2.Cor.5 » *nihil. Verùm qui peccatum non fecerat, dicebat in se nihil habere illum: homini verò satis superq; fuerit dicere id si audeat. Venit princeps mundi huius, & in me pauca paruáque est habiturus.*

Cogita igitur, quæso, terribiles in eos qui puniuntur, à deo impendentes pœnas, quādo caligine astra obducentur, erit sine lumine sol, nullóque fulgebit luna splendore, quando discurrent vndique fulmina, atque abrupta ruent, horrendum, tonitrua: quādo imminens capitibus aër fuerit obtenebratus, adeò vt his qui iræ fuerint traditi, nullum tormentorum solamen vlla ex parte adhiberi queat. Creatura siquidem suo conditori obsequens, vt in impiorum vltionem intenditur: ita remittitur, ad ijs benefaciendum qui in ipsum confidunt. Et quem-
Luc.15 » *admodum propter vnum peccatorem pœnitentiam*
» *agentem gaudium est in cælis: sic & dolor atque tristitia, propter eos qui per peccatum à suo deficiunt conditore.*

Ex com. in 38. Psa. Matt. 25. *Tum præparatus ad punitionem diabolo atque angelis eius, ignis, domini voce discinditur, vt quoniam duæ in eo sunt facultates, vrendi vna, lucendi altera, quod asperum quidem vltioníque in eo idoneum est, penes eos qui vt torreantur, meruerunt, permaneat: eius verò lucem atque splendorem alacris lætantium hilaritas sortiatur: adeò vt qui in punitionem adhibetur ignis, sine lumine sit: qui verò in oblectamentum, absque vrendi vi remaneat.*

ll

Neque ea in re tibi addubitandum eſſe cogita. In ipſa enim factorũ noſtrorum remuneratione, ignis diuidetur natura: cuius quidem lumen, iuſtorũ oblectamento: vrendi verò moleſtia, puniendorũ tribuetur vltioni. Ex Hexahemero.

Formidabilior autem ipſis tenebris æternóque igne, infamia illa eſt, cui perpetuò peccatores ſunt immoraturi, ſemper oculis obiecta habentes eorum quæ dum in corpore eſſent, perpetrarunt, peccatorũ veſtigia, animorum ſuorum memoriæ, non eluendæ in morem tincturæ cuiuſdam, pertinaciter hærẽtia. Paucis verò datum eſt ad verum illud lumen accedere, ſeſéque penitus palam explicare, atque poſt occultorum reuelationem abeundo vultum ſeruare pudore minime ſuffuſum. Ex cõ. in 33. pſalm.

Dei enim à nobis alienatio atque auerſio, illi qui eam patitur, intolerabilior grauiórque eſt quàm cætera gehennæ expectata ſupplicia: vt oculo priuatio luminis, licet alius non adſit dolor.

Si quis enim omnem ſimul poſt homines natos felicitatem oratione complexus fuerit, ac in vnũ congeſſerit, ne centeſima quidem parte eam his ipſis bonis adæquari poſſe reperiet: ſed omnia quæ hîc ſunt bona, ſi dignitatem reſpicias, longius ab illorum minimo abeſſe, quàm à rebus veris ſomniũ atque vmbram: atque adeo magis, vt familiariori vtar exẽplo, quanto anima omnibus corporis partibus precioſior eſt, tanto illam vtranque vitam inter ſe differre nemo eſt qui ambigat. Ex conc. quæ vti- ex profa. libr. capi poſſit.

Ex Ascecticis. Sed hominum plerique propter eum scripturæ lo-
» cum qui habet, Hic quidem vapulabit multis,
Luc.12 » ille verò paucis, finem tandem suppliciorum habituros esse eos qui puniuntur asserunt. quod quidem euenit non in productione, aut finitione temporis, sed in punitionis differentia. Cùm enim do-
Matt.25. » minus aliquando sententiam ferat, quòd hi abibũt
» in æterna supplicia, iusti verò in vitam æternam:
aliquando autem quosdam demittat in ignem æter-
Matth.5. num præparatum diabolo & angelis eius: & aliàs
& 18. » ignis gehennam nominet, addátque, vbi vermis illo-
Marc.9 rũ non moritur, & ignis non extinguitur: præterea
Esaie. 66. etiam rursus per prophetam testificetur de nonnul-
» lis, quòd illorum vermis non morietur, & ignis eo-
» rum non extinguetur:

Cúmque hæc atq; huiuscemodi multis diuinæ scripturæ locis repetita sint, vnicum prorsus ídque diaboli insidiarum præcipuum caput est, hominũ plerosque tot taliúmque domini sententiarũ velut oblitos, suppliciorum finem sibi ipsis proponere, vt peccare liberius audeant. Nam si æterna finem habitura est vltio, finem etiam æterna habebit vita. Si verò hanc de vita cogitationem nõ suscipimus, qua ratione pœnis æternis imposuerimus finem? Æterni-
Matt. 25 tatis enim nomen vtrisque pariter adhibetur. Abibunt siquidem hi, inquit, in æternos cruciatus: iusti
Luc.12. » verò, in vitam æternam. Itaque etiam illud, Vapu-
» labit multis, & paucis, non finem, sed supplicij differentiam significat.

Nam si deus iustus est iudex non bonis tantũ, sed etiam improbus, reddẽs vnicuique secundum opera sua, fieri potest vt igne inextinguibili, eóq; aut remissiore, aut ardentiore dignus inueniatur quispiam: hic verò perpetuo verme, eóque rursum pro cuiusque meritis, aut mitius corrodente, aut acerbius. Alius item gehennã meruerit, diuersa prorsus habẽtẽ supplicia: alius verò exteriores tenebras, vbi hic quidẽ fletu solo, ille dẽtium etiam stridore, ex nimia » doloris intensione crucietur. Atq; hoc quod ait, Exte» *riores tenebras, interiores esse subindicat: quódque prouerbio celebratur,* In *inferorum profundo, satis ostẽdit, in inferno quidẽ esse quosdã afflictos leuiori pœna, non tamen in ipsius inferni profundo esse:*

Minime autem existimaueris me veluti nutritiã quandã matrem, laruas tibi ac terricula obtrudere, quod illæ infantibus puerulis incomposité pertinacitérque flentibus factitare consueuerunt, atque fictis & commentis his narrationibus eos cõquiescere faciunt. hæc enim non fabulæ, sed minime mendax sermo lõgè antè promulgatus clamitat: tibíque certò persuadeas velim, futuram aliquando diligentem singulorum actæ vitæ peruestigationem.

Ex cõ. in xxxviii. Psalm.

Fratrem oppreßisti? æquale te recepturum expecta, pauperiorum res diripuisti? pugnis inopes obtũdere non veritus es? dedecore conuiciísque affecisti? calumniatus es? circunuenisti? alienis insidiatus es nuptijs? peierasti? paternos aliorum incõmodo terminos transtulisti? orphanorum poßeßiones

inuasisti? viduas oppreßisti? præsentem voluptatem futurorum bonorũ promißioni prætulisti? hæc omnia ne non tibi remetiatur dominus, haud dubita.

Gal.6. » Qualia enim nostrûm vnusquisque seminat, talia » etiam metet.

Atque etiam si quædam à te benefacta extant, illorum pariter remunerationem expecta.

Ex cõ. ad virginẽ lapsam. Animum igitur tuum, ô homo, in extremæ illius diei cogitationem inducito. (neque enim solus tu seculum viues) in spiritus interclusionẽ, in suffocationẽ, in mortis horam, in vrgentem etiam dei sententiam, in festinantes ad te angelos, in animam interea grauiter tumultuantem, atq; ab obnoxia peccatis conscientia acerbè vapulantem, & ad mundana miserè sese conuertentem: in eam denique ineuitabilem longæ illius peregrinationis necessitatem.

Extremam, quæso, communis vitæ subuersionem cogitatione tibi informa, quando filius hominis in gloria sua venturus est. veniet enim, neque reticebitur cùm veniet, vt iudicet viuos & mortuos, & cuique reddat secundum opera sua: quando magnũ quidpiam atque horrendum tuba illa occinens, eos

Ioan.5. qui à seculo dormiunt excitabit: & qui bona egerint, ibunt in resurrectionem vitæ, qui verò mala, in resurrectionem iudicij.

Redeat in memoriam tibi quonam modo diuina

Dan.7. illa Danielis visio, apertè in iudicium nobis sub cõspectum adducat. Aspiciebam, inquit, donec throni » positi sunt, & antiquus dierum sedit, fluuius igneus

„ rapidúsque egrediebatur à facie eius, millia milliū
„ ministrabant ei, & decies millies centena millia as-
„ sistebant ei. Iudicium sedit, & libri aperti sunt, bona, mala: manifesta, occulta: actiones, verba, cogitationes: omnia denique confertim in publicum proferentes: adeò vt ea omnibus tum angelis, tum hominibus audire cernereque liceret. Ad horū spectaculum quales eos esse necesse est qui scelerate vitam traduxerunt? vbi sese illa occultare poterit anima, quæ tantorum spectatorum oculis turpitudine referta visa repente fuerit? Quali verò corpore infinita illa ac intolerabilia sustinebit verbera? vbi ignis inextinguibilis & vermis perpetuo rodens, ac tenebrosum horridúmque inferni profundum, vlulatúsque amari, indecénsque eiulatus & fletus, & dentium stridor, atque vbi finem mala nunquā habitura sunt? Ab his post mortem nulla liberatio est: nulla consilia, nullæque sunt artes, quibus asperrima illa supplicia excuti possint.

Hæc vitare nunc licet: quandiu licet, nosipsos ab eo lapsu erigamus, neque desperemus, modò peccatorum vinculis exoluamur. restat adhuc si libet, ad salutem ducens via. Te bonus quærit pastor, relictis his qui non aberrauerunt: si teipsum semel dedas, non cunctabitur, neque te suis gestare humeris hominum studiosus ille dedignabitur fautor, non vulgari lætitia perfusus quòd ouem suam quæ perierat, inuenerit.

Stat pater, tuúmque ab errore reditum oppe-

ritur. redi solummodo, atque te longè adhuc distante, in collum tuum inuolans, amicis te salutationibus amplectetur, qui per pœnitentiam iam repurgatus es. Quòd si quis eorum qui firmiter stetisse videntur, obijciat te cito assumptum, ille vt optimus,
„ *tui defendendi gratia respondebit inquiens: Exhi-*
Luc.15. „ *larari oportet ac gaudere, quoniam hic filius meus*
„ *mortuus erat, ac reuixit: perierat, & inuentus est.*
Illi gloria in secula seculorum. Amen.

DE IMPERIO AC POTESTATE, *Concio XV.*

Ex Asceticis.

IMBECILLIORES *semper à præstantioribus regi ac gubernari decet: Pessimo enim principatum popularis sæpenumero detulit imprudentia. Consentaneum est igitur, vt qui omnium testimonio cæteros sapientia, & fortitudine, atque exacta integrioris vitæ ratione antecellit, alijs dux præficiatur, vt quicquid in eo boni est, habeant omnes quod imitentur.*

Ex cõ. in *Solent enim vt plurimũ subditi ad principũ mo-*
Esaiam. *res, suos componere: adeò vt quales fuerint princi-*
Eccles. 10 *pes, tales etiam subditos esse sit necesse. Qualibus*

verò moribus qui præsunt, præditi sunt, talibus quoque hi quibus imperatur, esse consueuerunt.

Et quemadmodum si plures pictores vnius faciei figuram expresserint, omnes illorum effigies mutuò inter se conueniunt: sic multorum mores si ad vnius imitationem componantur, optima vitæ figura pariter omnibus illucescet. Vera etenim in hoc absolutáque subditorum ijs qui præsunt obedientia cernitur, cùm non solùm eo consultore rebus absurdis & ineptis abstinent, sed ne ea quidem quæ laudabilia sunt exequuntur inconsulto. Nam continentem, atque ad omnes corporeas afflictiones ferēdas fortem esse, ad aliquid sane vtile est: sed si quis animi sui sequens impetum, quod sibi fuerit visum fecerit, atque consulenti ei qui præest minime paruerit, plus ille grauiúsque delinquet, quàm bene rectéque faciet. » Qui enim potestati resistit, dei ordinationi re- » sistit. Atque obedientiæ quàm cuiuslibet continentiæ, merces est vberior. Ex Epist. Rom. 13.

Is igitur qui malum facinus reprimere sanaréue potest, de industria verò procrastinatur, non immerito ijsdem quibus facinoris auctores, supplicijs puniatur.

Nō autem qui præest ob eum in quo positus est dignitatis gradum sese attollat aut insolescat, ne humilitatis beatitudine priuetur. Ex Asceticis.

Neq; enim qui regi quidem inseruit, se magnifice efferat, quòd in eo ministerij ordine destinatus est: qui vero diuino cultui seruit, aliunde sibi laudem Ex cō. in 33. Psal.

ascifcet, quasi munificentissima Domini *appellatio non satis superque ad omnem gloriæ splendorisque exuperantiam sufficiat.* Nam *tanti domini seruos nos appellari, ad omnem nobis dignitatem satis esse debet.*

Ex cō. in 7. psalm. *Et quemadmodum aliud quidpiam præter deum colere: sic neque in alio spem reponere, quàm in deo omnium domino, haud fuerit consentaneum.* Qui *enim in homine spem collocat, aut ab alio quouis earum rerum quæ huius vitæ sunt, pendet, veluti à principatu, aut diuitijs, aut ab eorũ quopiam quæ vulgò censentur esse splendida, dicere minime potest,* Dominus *deus meus, in te speraui: præcepto*

Psal.7. » *enim cauetur, ne in principibus confidamus: atque*
Ps.145. » *maledictus ille homo est qui in homine confidit.*
Hier.17 »

Ex cō. in 45. psal. Beatus *igitur is verè est qui nullo huius vitæ honorum fastigio superbit, sed suam in dominum gloriam refert, deumque quo glorietur vnicum habet, ac secundum* Apostolum *dicere potest,* Absit *verò*

Gal.6. » *mihi gloriari, nisi in cruce* Iesu Christi. Nam *si magnifice de seipso quispiam sentiat, quòd regis seruus sit, à quo amplissimos honores fuerit assecutus, quãto magis tibi de te magnificentius sentiendum, cùm præstantissimi regis sis seruus, in summam ab ipso familiaritatem accitus?*

Ex cō. in Esaiam. Qui *enim verè imperat, ab exterioribus signis minime dignoscitur, veluti à purpureo paludamẽto, atque diademate: sed ita maxime, si administrandi imperij præstantia & virtute sit præditus: cui*

verò

verò perniciosè dominātur voluptates: quique suis se libidinibus duci permittit, is profectò peccati seruus cum sit, ad imperandum malè idoneus est. Ioan. 8.

Et quidem rebelles subigere atque in ditionem redigere, strenui pariter ac veri imperatoris est: subiugatis verò clementē esse ac mansuetum, viri est animi magnitudine atque humanitate præstantis. Superiorum enim ætatum plerique eos à quibus iniuria fuerant affecti iam olim superarunt, de quibus nulla ad posteros fama transmissa est: iracundiam verò continuerūt quidam qui philosophia facilè permultis antecelluêre, quorum quidem memoria nulli non seculo tradita est. Nam eos qui aliquem aliqua in re offenderunt, non eorum causa quæ iam facta sunt, punimus: qua enim arte præstari posit, vt quod factum est infectum fiat? sed nimirum, vt aut ipsi in posterum meliores euadant, aut alijs ad temperantius se gerendum, exemplo esse posint. Ex Epist.

Sæpe enim in tenuißimis etiam dei sese exerit sapientia. Nam qui cōuexum cælum expandit, atque ingētes marium gurgites effudit, ille ipse est qui tenuißimum apiculæ stimulum, in fistulæ modum excauauit, adeo vt per ipsum venenum effundatur.

Hunc corporeis quidē oculis contemplari minime conceditur: incorporeum enim visui subijci corporeo non potest. Quod quidem vnigenitus ipse dei » filius testificatus est dicens, Deum nemo vidit vn- » quam. Vtrúmne vt scriptū est, eum vidit Ezechiel? » Audi quid scriptura dicat, Vidit similitudinem glo- Ex conc. quòd de⁹ sit incōprehēsib. Ioan. 1. Ezech. 1.

riæ domini: non tamen ipsum dominũ, sed ne ipsam quidem gloriam, qualis illa reuera est. Et *cum similitudinem gloriæ vidisset, non ipsam gloriam, præ timore in terram cecidit.* Q*uòd si conspecta gloriæ similitudo terrorem hominibus tremorémque incutit, deum ipsum si quispiam viderit, è vita prorsus*
Exod.33 » *migrauerit, vt dictũ est,* Nemo *videbit deum ac vi-*
» *uet.* Propterea *deus pro summa sua erga nos humanitate, cælũ ipsum, suæ diuinitatis velum, ne pereamus, obtẽdit.* Neque *de meo id adfero, imò ipse pro-*
» *pheta dixit,* Si *aperueris cælum, tremor à tuo conspe-*
» *ctu apprehendet montes, & continuò tabescent.*

Et *quid miraris si gloriæ similitudinem cum vi-*
Danie.10 *disset* Ezechiel, *cecidit in faciem?* Daniel *conspecto dei seruo & emarcuit, & in faciẽ cecidit: & quandiu erecto illi obuersata est dei filij similitudo, tandiu respondere non ausus est.* Si *verò visus* Gabriel *prophetus, hominibus dei tremorem incutit, si qualis est, is sese ostenderit, nonne perierint omnes? nemini profectò dubium est.*

Si *vis igitur apertè cognoscere incõprehensibilem esse dei naturam, disce quid tres pueri in ardentis*
Daniel. 3. *ignis fornace laudantes deum dicunt,* Benedictus *es qui intueris abyssos, & sedes super* Cherubin. Q*uæso te, dic mihi quænam est* Cherubin *natura, atque tum insidentem contemplaberis.* Q*uanuis prophe-*
Ezech.10 *ta* Ezechiel *illorum descriptionem quoad fieri po-*
» *tuit, scriptis sit persecutus, inquiẽs,* Q*uatuor facies*
» *habebat vnum, facies vna hominis, facies secunda*

leonis: & in tertio facies aquilæ, & in quarto facies vituli: quódq; vni sex essent alæ, atq; ipsis vndique essent oculi, quódq; singuli subiectã haberẽt quadrãgularẽ rotã, facta tamen ab ipso faciei descriptione, etiãsi legimus, quid sit percipere non valemus. Si verò soliũ quod explanauit, animo comprehendere nõ possumus, insidentem ipsi inuisibilem deum, qua ratione poterimus? facie siquidem ad faciem visuros, perfectámque incomprehensibilis dei maiestatis in futuro seculo cognitionem habituros eos qui digni fuerint, certa pollicitatione confirmatum est. Nunc verò etiam si Paulus alter quispiam fuerit, etiam si Petrus, cernit quidem verè, neque hallucinatur, aut sibi eum imaginatione informat, veruntamen velu ti per speculum, & in ænigmate intuetur: & quod 1.Cor.13. *nunc ex parte est cum gratiarum actione accipiens, quod planè perfectum est summa cum lætitia in futurum opperitur. Quod enim in ea ipsa cognitione nunc perfectum esse videtur, adeo exiguum quiddã támque exiliter perspicuũ est, vt à futuri seculi claritate absit magis, quàm nunc ab eo distat cùm corã præsentes præsentem videre dabitur. Ac tãta quidẽ est cognitionis dei infinitas: tantáq; humanæ naturæ in percipiendis hoc in seculo diuinis mysterijs imbecillitas, singulis quidem, pro cuiusque progressus ratione, ad id quod perfectius est contendentibus: nemine verò eò vnquam perueniente, donec venerit » quod perfectum est, quando quod ex parte est eua- » cuabitur.*

Ex Hexahemero.

Qui verò naturæ rerum cognitionem inueniri posse censet, is omnino via quadam & consecutione per earum notitiam mentem suam ostendit, ac in facilioribus & minutioribus per cōprehensionem exercitatus, ita tādem in id quod omnem notionem exuperat visum comprehēsibile, quam Græci *καταληπτικὴν φαντασίαν appellant, progreditur.*

Qui ergo rerum cognitionem se percepisse gloriosè prædicat, exiguißimi omnium quæ videntur animalium naturam edisserat, & quænam sit ipsius formicæ natura: spiritú ne & anhelitu eius vita cōtineatur: an oßibus corpus intercipiatur, an neruis, & per commissuras vinculis consolidetur: an musculorum glandularúmque ambitu nerui circumuoluantur: an per dorsi vertebras à sincipite ad caudam vsque medulla perpetuò diffundatur: an propter neruosæ membranæ complexionem mouentibus se membris, motus indat facultatem: an habeat illa iecur, in quo bilis sit folliculus: an renes, cor, arterias, venas, membranas præcordia: an nuda sit, aut villosa: an vnius vngulæ sit, vel pedes habeat multifidos. quandiúque viuat, & quænam sit mutuæ à seipsis generationis ratio: quandiu partum ferant, quáque ratione neque pedites formicæ omnes, neque alatæ: sed aliæ quidem humi repant, aliæ verò per aërem volitent.

Ille igitur qui rerum cognitionem se assecutum esse iactitat, formicæ naturam antè explicet, atque ita demū de ea vi quæ omnem cogitationem supe-

rat, naturali disputet ratione. Quòd si breuissimi animalis, id est formicæ, naturam, intelligentia nõdum cõplexus es, quomodo incomprehensibilẽ dei vim ac potentiã imaginatione te cõcipere gloriaris?

Sibi enim arrogare, ipsam summi dei essentiam compertam habere, superbi simul & insolentis ingenij est: atque parum abest quin eum ipsum expli-
» *cando denudent, qui dixit, Ponam supra astra se-* *Esai.14.*
» *dem meam. Nonne eximius ille propheta David, cui obscura & occulta suæ ipsius sapientiæ reuelauit deus, apertè fatetur eius cognitionis fastigium,*
» *inquiẽs, Mirabilis facta est sciẽtia tua ex me? Esaias* *Psal. 138.*
verò cùm in gloriæ dei contemplationem adductus esset, quid nobis de diuina substantia aperuit? nẽpe cùm de Christo prophetiam texit, testificatur di-
» *cens, Generationem eius quis enarrabit? Quid ve-* *Esai. 53.* *2.Cor.12.*
rò vas electionis Paulus, qui in se loquentem Christum habebat, qui ad tertium vsque cælum raptus fuit: qui arcana verba audiuit, quæ non licet homini loqui, quam nobis de dei essentiã doctrinam reliquit? qui quidem, dum in particulares eius œconomiæ rationes incidisset, ad tantæ speculationis impermeabile arduum, vertigine quasi occupatus, in
» *hanc prorupit vocem: O altitudo diuitiarum sa-* *Rom 11.*
» *pientiæ & scientiæ dei: quàm inscrutabilia sunt*
» *iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius.*

Si verò ab his qui eandem cum Paulo cognitionem sunt assecuti, hæc minime cõprehendi possunt, quantus est eorum animi tumor, qui dei essentiam

se nosse profitentur? Quos ego libenter interrogauerim, de terra in qua stant, & ex qua nati sunt, quid sentiant, quam ipsius essentiam nobis enarrent. vt si forte de his quæ humi sunt, pedibúsque nostris subiecta, certò atque indubitatò disseruerint, ipsis tum demum de his quæ omnem cogitationem superant asseuerantibus, credere non grauemur.

Et sicut inquiunt, Quòd Adam à deo est: ita interrogabimus ipsos, Deus à quo est? Nonne cuiusque menti in promptu est, hunc à nullo esse? quod verò à nullo est, id sine principio esse omnino in cõfesso est: quódque sine principio, ingenitum esse consequens est. Quemadmodum igitur illud, A quodam esse, in hominibus non est essentia: sic neque illud, à nullo esse, in omnium deo essentiam esse dicẽdum est. quod quidem idem est quod ingenitum esse. Qui verò essentiam sine principio esse asserit, perinde facit ac si quis interrogatus, quænã sit Adami essentia & quæ illi natura, is respondeat, non ex coniunctione maris ac fœminæ. sed dei manibus illum esse formatum. Qualis igitur nobis reliquus est cognitionis modus? Respondeant nobis hi qui omnia quidem pedibus nostris subiecta despiciunt, in ipsum verò cælũ penetrant, atque omnes cælestes potestates, si quidem cæli magnitudo humanæ intelligentiæ modum egreditur, æternorúmne naturam inuestigare quis tandem poterit? Si corruptioni sol obnoxius adeò pulcher ac magnus est, moueri quidem celer, constantes verò suos circuitus reddens, ita commensuratã

habens cum vniuerso magnitudinem, vt suam ad illud proportionem non excedat? naturæ verò pulchritudine, veluti lucidus quidam oculus, creaturæ conueniens?

Si in eo spectando nulla nos vnquam capit satietas, qualem arbitraris iustitiæ solis pulchritudinē? Si cæco non modica pœna est, quòd huius spectaculo non fruatur, quale tandem supplicium peccatori futurum existimas, quòd veri luminis splendore priuetur? Nam si hæc tēporaria talia sunt, qualia sempiterna? etsi quæ videntur, adeo speciosa sunt, qualia inuisibilia, quæ præparauit deus diligentibus se? Quæ vtinā assequi omnes valeamus, gratia atque humanitate domini Iesu Christi, quia illi debetur gloria, in secula seculorum. Amen.

DE INGLVVIE ET EBRIEtate, *Concio* XVI.

CHRISTIANOrum *victus ratio, charissimi, vnum eundémque scopum habens, dei gloriam, vniusmodi sibíque semper similis est. Siue enim comeditis, siue bibitis, siue quidpiam aliud facitis, omnia ad gloriam dei facite, ait in Christo loquens Paulus.* Ex Asceticis.

Dißimilis verò variáque est extraneorum vita, diuersis ad eorum gratiam cum quibus cõuersantur, transformata modis. Quòd si etiam contigerit nos cum talibus adcumbere, & pro facultatum nostrarum viribus, quæ ad voluptatem faciunt, curiose disquirere, atque ad ostẽtationem apparari, vereor equidẽ ne quæ diruimus, hæc ædificare videamur:

Rom. 2. *& in quibus alios iudicamus, ijsdem nosipsos condemnemus, in varias formas mutabili viuendi ratione vsi, atque hac nunc, nunc illa induti persona: nisi forte vestes quoque nostras immutabimus, cùm in magnates inciderimus. si verò indecorũ id, multo certe turpius est propter eos qui genio suo indulgent helluones, nostræ mẽsæ cõsuetudinẽ immutare.*

Cùm enim mensa conquisitiorum epularum multitudine, atque ad voluptatem curiosius extructa, fratris tui mensam transmutas, eum vt voluptatis studiosum accusas, atque in eum per ea quæ apparas effundis ingluuiei opprobria, ipsius in his mollitiem voluptariam redarguens.

Quid igitur nobis cũ luxu? Hospes aduenit quispiam? siquidem frater fuerit, eundem vitæ propositum habens, domesticã agnoscet mensam: quæ enim domi reliquit suæ, hæc apud nos inueniet. Verùm de via fessus est? tantum illi apponimus, quantum leuando labori sufficiat. Extranei vitæ generis alius accessit? factis discat, quæ illi minime persuasit oratio: sumátque typum à nobis, atque exemplũ ciborũ copiæ qua cõtentus esse debeat: & penes ipsum,

christianorum mensæ, neque erubescendæ propter Christum paupertatis, monumenta remaneant.

Si verò animum non aduerterit, sed deriserit potius, nobis non erit iterum molestus. Nam circuncursitare nos, disquirētes ea quæ ad necessarios vsus minimè comparata, sed ad perniciosam voluptatē, damnosámque ostentationem adinuenta sunt, non solum nobis turpe atque indecorum est, sed etiam nō vulgarem habet offensionem, cùm qui genio indulgent, atque beatitudinem ventris voluptatibus metiuntur, ad ea etiam nos studia conuersos viderint, quæ illi stupidi admirantur.

Inter epulandum verò ne mentem habeamus dei cogitatione vacuam, sed ipsa escarum natura, & corporis ipsas excipientis opificio pro argumento vtamur eius laudes celebrandi, quomodo sapienter omnia is administrans, varia ciborum genera cuiusque accommodata corporis qualitati adinuenerit. Sumendi verò cibi vnica certáque constituta sit hora: quæ quidem in orbem recurrens, vix hæc vna sit è viginti quatuor, quibus dies nóxq; concluditur, curando corpori insumpta: reliquas autem speculationi mens occupata sinat abire. Ex Epist.

Qui enim optimè sibi consulit, præcipuam animi curam geret, ídq; sincere veréque obseruare contendet. Si verò corpus aut fame tabescat, aut frigore atque æstu conflictetur, aut morbis miserè afficiatur, aut à quibusdam violentum patiatur quidpiā, hæc omnia paruipendet, neque accedentia etiam Ex cō de nō adhærēdo reb. hui⁹ vitę.

vitæ pericula, pertimescere conspicietur.

Si verò quispiam corpori etiam aliquid indulgere velit, vt ei rei quæ vnica sibi retinendæ animæ necessaria est, quæque ad terrestrem hanc vitã tuendam, ipsam adiuuat, paulum admodum de eo solicitus erit, & eo vsque solùm, dum illud continere & mediocri cura validum, animæque ministerio aptum seruare liceat: neque tamen permittere, vt præ satietate lasciuiat. hus enim illud sibi comparabit & minime rebelle, & ad cæleste iter conficiendum nullo non tempore expeditum, eóque facilius ad ea quæ proposita erunt, adiutore vtetur. Si verò luxuriari illud siuerit, atq; omnibus quotidie adimpleri, immitis veluti quædam fera, violento postea illius in terram raptu simul ingurgitatus, iacebit incassum gemens.

Itaque in domini tandem conspectum adductus, cùm permissæ illi terrestris huius peregrinationis fructus ratióque ab eo exposcetur, illam reddere minime valens, longum lugebit, atq; in perpetuis versabitur tenebris, voluptatem ipsam eiúsque illecebras miris incusans modis, vtpote quæ salutis oblatam occasionem furtim eripuerint. At verò nullum

Psal. 6. » *illi ex lachrimis operæprecium existet. In inferno*
» *enim, quis confitebitur tibi? Dauid ait.*

Ex cõc. II de ieiun. *Venter, infidelißimus conciliator est, custodiæ nõ satis fidæ promptuarium, qui quidem multis apud se depositis, quod damnosum est detinet: quod depositum est, male custodit.*

Quæ igitur in esum atque potum à nobis excogitata sunt, & quæcunque præter necessitatem machinatæ sunt diuitiæ lasciuientes, in obsequium ea omnia parantur ingrati ventris nulliúsque rei continentis, vbi primum dies illuxerit, etiam si perpetuo in eum infundas: quæ sane quandam exiguam infusa solo gustu, transeundo voluptatem adferentia, statim vt molesta & superflua fastidimus, quasi diutius ipsis visceribus si insederint, in summum vitæ discrimen adducamur. Satietas igitur quamplurimis mortem attulit, atque præterea in causa fuit, vt nulla posthac re fruerentur. Ex conc. de nō adhærendo rebus huius vitæ.

Naturalis enim illa vis atque facultas gubernatrix animantis, moderatos leuésque cibos facile concoquit, eiúsq; qui alitur naturæ accommodat: at ciborum profusiorem copiam & varietatē cum excepit, exceptámque ad extremum conficere minime potuit, varia inde procreat morborum genera.

Lasciuientis iniuriæ initium est satietas: voluptatem enim & ebrietatem, variáque ciborum condimenta, omne intemperantiæ beluinæ genus consequitur. Hinc homines, velut equi amore fœminarum insaniunt, propter ingeneratum temulentorum animus ex nimijs comessationibus œstrū. Hinc prodigiosæ naturæ commutationes, eorū qui in masculo quidem fœminam, in fœmina vero masculum requirunt.

Ex crassiore nanque cibo veluti fuliginosæ quædam exhalationes, densæ nubis instar, sursum mis-

ſæ, à ſpiritu ſancto ingenerata menti lumina perrumpunt.

Ex cō. in 29. Pſal. *Ne igitur ſomnis & balneis, mollioribúſque ſtratis tuo corpori blādiaris: illud ſemper dictum in ore*
Pſa.29. » *habens, Quæ vtilitas in ſanguine meo, dum deſcen-*
» *do in corruptionem? Quid excolis quod paulo poſt corrumpetur? quid teipſum obeſás, & tumenti vndique carnis mole obuoluis? An ignoras quòd quanto pinguius tibi corpus efficis, tanto moleſtiorem animo carcerem extruis?*

Ex conc. quæ vtil. ex prof. libr. capi poſsit. *Corporearum enim virium abundantia, ſpiritus ſaluti impedimento eſt. oportet itaque quæ neceſſaria ſunt ventri ſubminiſtrare, non quæ iucundiſſima, vt ſolent hi qui menſæ ſtructores ſibi quoſdam atque coquos excogitantes, nullas non terras, nulla non maria perſcrutantur, vt veluti difficili ac moroſo cuidam domino tributum pendant, perpetuo miſeri negocio, nihílque minus graue ferentes quàm qui æternis inferorum cruciatibus torquentur, planè ignem diſſecantes, cribróque aquam geſtātes, atque perforato haurientes dolio, ac nullum vnquam ſuorum laborum finem reperientes.*

Ex cōc. 1. de Ieiu. *Quemadmodum igitur ſitis iucundiorem efficit potionē, & præeunte fame ſuauior inſtruitur menſa, ſic ſumendorum ciborū delectatio per continentiam efficitur hilarior. Illa enim mediam ſeſe iniiciens, atque continuam interpellans voluptatem, vt grata tibi velut abſentis rei chariſſimæ recuperatio videatur, efficiet. Itaque ſi cupis deſiderabilem tibi*

apparare mensam, cōtinentiæ vicißitudinem interserere. Tu verò quoniam voluptati pertinacius adhæres, eam tibi imprudens languidiorem adstruis, atque nimio eius amore hanc tu ipse demoliris. Nihil enim vsque adeo gratum acceptúmque esse potest, quin diuturno fruendi vsu, in contemptum venire soleat. Quorum verò rara atque infrequens possessio est, ijs frui maiore desiderio appetimus,

Qui igitur exoriente die, vbi conuiuia concelebrantur explorant, ac diuersorias tabernas cauponásque circunspectāt, seséque mutuo ad bibendum inuitant, & omnem animi cogitationem in huiusce modi rerum curis consumunt, hi à propheta deplorantur. non enim eorum oculis per ocium licet cælū ipsum intueri, huiúsque contemplari pulchritudinem: sed ineunte statim die, sua exornant conuiuia, omnéque suum studium ac diligentiam in instruendis poculis ostentant, refrigeratoria vasa, crateras, phialas, vt in solenni pompa quadā celebríque mercatu disponentes, vt & istorum vasorum varietas satietatem illis suffuretur, & hac poculorum alternatione mutationéque diutius in bibendo perseuerent. Ordo in confusione, atq; in re inornata excogitata dispositio. Adhæc si quis vini plus hauserit, certatur: rixæ atque certamina oboriuntur, contendentium se mutuo ebrietate superare. Atq; qui eis illud constituit certamen, diabolus est: victoriæ autem præmium & palma, peccatum est. nam qui meri plus infuderit, is de omnibus victoriam reportat. Ex conc. contra Ebriosos

contendunt enim inter se alij alios vincere, seipsos verò vlciscuntur. Omnia stultitia, omnia confusione plena sunt. Qui in eo superantur certamine, ebrij sunt: famuli derident. Ipsa iam defessa manus est, nihil amplius os potest suscipere, disrumpitur crepátque venter, neque malum tamen tum cessat. miserũ corpus, naturali robore exoluto, vndequaque perfluit, intemperantiæ violentiam sustinens. Miserãdum proculdubio spectaculum, constantis atque integræ ætatis vir, militiæ dare nomen apprime idoneus, sese erigere pedibúsque suis incedere non valens, domum vehiculo deportatur. Vir qui hostibus terrori esse deberet, stantibus in foro puerulis ridẽdi præbet occasionem. Humi absque ferro prostratus, sine hostibus trucidatur: vir armiger in ipso ætatis flore à vino miserè consumitur, ab hostibus pati quæcunque libuerit paratus.

Quis horum tibi malorum auctor? quis eas tibi struxit insidias? Conuiuium tibi pro acie constituisti: iuuentutis florem nimio vino extinxisti: atque quempiam, vt amicum, ad prandium vocas, dimittis verò quasi mortuum, vitam eius vino sepeliens obruénsque.

Qua re à brutis differs, ô homo? nonne rationis munere? quo quidem à tuo conditore accepto, cæteris animantibus imperas atque dominaris. Is igitur
Psal. 48 " *qui hoc se sensu per ebrietatem priuauit, comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est*
" *illis: imo verò ipsis etiam brutis multo magis ratio-*

ne carentes temulentos affirmare ausim: quandoquidem quadrupedia omnia atque feræ, ordinato ac certo quodam impetu ad coïtum feruntur: quibus verò mens ebrietate obsessa est, corpúsque calore præter naturam adimpletum, hi nullo non tempore, nulla non hora ad impuros atque indecentes complexus stimulantur.

Vt enim igni inimica est aqua, sic modũ excedens vini potio, modestum prudentémque sensum extinguit. Nam quænam est pecus, quæ ita videndi audiendíque sensu hallucinetur, vt ebrius homo? Nonne familiarissimos sibi non agnoscit, atque extraneis sese vt domesticus adiungit? Nonne vmbras ebrij sæpe quasi riuulos terræque hiatus, transiliunt? Sonis verò strepitibúsq;, quasi maris æstuantis, eorũ refertæ sunt aures. Ipsa etiam humus in rectũ assurgere, & montes in orbem circũuolui videntur. Craues quidem hi, æstuosi, difficiles que somni, & reuera morti vicini. Vigiliæ verò somnis stupidiores ac sensu magis expertes. tota enim illis insomnium vita est. Qui cum ne vestem quidem habeant, neque quod crastino die comedant, sibi dum ebrij sunt regnare videntur, exercitibus præesse, ciuitates ædificare, pecunias munificentissime largiri.

Quid agis ô homo? percutientem herum fugit seruus: tu verò vino caput tuum quotidie concutienti, assistis. Optimus sanè vino vtendi modus est, si ex eo tantum sumimus quantum corporis exigit necessitas: si verò eos fines transgrederis, cras capitis la- Ex cõc. II de Ieiun.

borans grauedine prodibis, oſcitabūdus, nil niſi pu tridum redolens vinum, omnia tibi in orbem ferri, omnia concuti videbuntur.

Ex conc. contra Ebrioſos *Quando enim cerebri membranæ ea ſunt impletæ fuligine quam exhalans vinum ſurſum mittit, dici non poteſt quàm intolerandis caput doloribus afficiatur: quod quidem rectū ſupra humeros ſtare minime valens, nunc hac, nunc illa parte decidit, in vertebras delabens.*

Intemperantia autem voluptatum à vino fere quaſi à fonte manat, atque cum intemperantia ſimul inuadit petulantis laſciuiæ morbus, qui omnē pecudum in ſui generis fœminas inſaniam, ebrioſorum flagitijs longè minorem exhibet: quandoquidē illæ, naturæ fines agnoſcunt: hi verò, in maſculo fœminam, in fœmina maſculum requirunt.

Animo enim ſunt adeo perdito, vt nulla non turpitudinis nota ſibi inuſta, ipſum præterea corporis habitum corrumpant, non ſolùm voluptatum ad libidines ſtimulantium effuſiore licentia tabeſcentes ac diffluentes, ſed ſi ad carneā molem reſpicias, vliginoſum, muſcoſúmque corpus habentes, atque vitali robore penè deſtitutum.

His liuidi quidem ſunt oculi, ſuppallida verò cutis, intabidus fœtidíque odoris ſpiritus, lāguida lingua, inarticulata raucáque vox, ad labendum faciles & incerti, quales ſunt puerorū, pedes: vltroneæ verò excrementorum deiectiones, veluti ab inanimatis effluentes. deliciæ miſerabiles: miſerabiliores

ipſi

ipsi ijs qui turbulẽtißimis pelagi tempestatibus iactantur, quos alij ex alijs fluctus excipiũt, viciſsimque immergunt, adeo vt ab his eos emergere minimè sinant.

Quemadmodum enim fluctibus agitatæ naues, dum grauiori pondere premuntur, facta necessariò sarcinæ iactura, nimio leuantur onere: sic & oportet istos ea quibus grauantur deponere, quibus etiã neque vomitu, neque singultibus facile liberantur: eo incõmodè nauigantibus miseriores, quòd hi ventos minime secundos, & mare, atque exteriores cau sas incusent: isti verò voluntariam sibi accersant ebrietatis tempestatem.

Itaque qui à dæmonibus poßidentur, miseratione quidem digni sunt: temulenti verò, licet eadem cum istis patiatur, indigni tamen sunt quorum misereatur, quòd cum voluntario de industriáque comparato dæmone colluctentur: qui etiam ad ebrietatem medicamenta comminiscuntur atque componunt, non, ne quid à vino grauius patiantur, sed ne citius inebriati bibere desinãt. Ac mali quidẽ nondum finis: nam vini quo plus hauseris, id te ad plus hauriendum inuitabit. neque enim sitim leuat, sed ineuitabilem semper alterius secundíque potus neceßitatem ingenerat, ebrios penitus adurens, atque ad ingerendam maiorem vini copiam eos ipsos prouocans.

Et quemadmodum torrentium aluei pleni esse videntur, quandiu per ipsos torrẽtes defluunt. vbi ve-

rò vehemens illa præterijt inundatio, sicci prorsus remanent: sic fœdissimis illis vini helluonibus, os quandiu in eo vinum stagnat, plenum est quodammodo atque humectum: cum verò vel paululum præterfluxerit, aridū, omníque prorsus humore destitutum comperitur.

Ex cōm. in Esaiā

Omnino igitur ab his abstinendum est, quæ perturbationem in animi principatu atque mente ingenerant. Postquam enim multum in ventriculū confluxerit merum, sæui cuiusdam tyranni more, in arcem inuadit, vbi à summo vertice nulla arte sedandos animæ tumultus excitat, nihil non iniquum imperans: sed ipsa primum in seruitutem redacta ratione, quicquid ex eruditione inerat ornamenti, confundit atque dissipat, risus indecentes, turbulentam vocem, petulantes iras, effrænatas libidines, œstrum furorémque ad omne impium voluptatis genus ingerens.

Propterea ne bibant vinum optimates, inquit, siue quibus aliquod creditum est imperium, publicorúmque negociorum administratio: siue qui propter integram quam agunt ætatē, corporeis viribus sunt præditi. Huiuscemodi enim homines, cùm natura facilè ad quoscunque motus incitentur, ad eósque sint procliues, vbi vini etiam incentiuum sibi adiunxerunt, veluti flammam quandam ingenti strui materiæ vstu facilis, non paruum excitant incendium. Nam quemadmodum onere nimio depressa nauis, ægrè quò velis, impellitur, atque naufragio

faciendo mirum in modum prona est: sic etiam corpora, quanto voluptatis libidine pluribus atque profusioribus delicijs, cutis curandæ gratia sese onerant, tanto profundiore perditionis pelago innatantia feruntur.

Cur ipsius Cain *maledictionem sibi accersiuerit quispiam, ebriosus factus, tremebundus, totóq; vitæ suæ æuo vagus vt ille & profugus?* Quod *enim inditam à natura firmitatem corpus non retinet, circumuoluatur ac decutiatur necesse est.* At *quousque tãdem illos perducit ebrietas? ne ex hominibus in lutum transmutentur, periclitantur.* Ita *sanè totus vino permisceris atque computrescis, & vasorum quorum nullus vsquam vsus, in modum, ex quotidiana crapula, nil nisi vinum, ídque putridũ, exhalas ac redoles.* Ex cõ. in Matth. Euang. Gene. 4.

" *Si regnum dei temulenti non poßidebunt, quid tibi inde vtilitatis obuenerit, si ad ieiunium ebrius accedis?* Nam *si te regno excludit ebrietas, quid tibi deinceps proderit ieiunium?* Nonne *vides quomodo peritißimi quique bellatorum equorum domitores, cùm certamen instat, eos quos huic destinarũt, inedia longe antea expeditiores reddunt ac præparant? tu contrà de industria te satietate opprimis.* Cibis *oneratus ac grauatus venter, vt non ad cursum, sic neque ad somnum idoneus est: quandoquidem pondere oppressus, quiescendi non habet facultatem, sed modo in hanc, modo in illam partem sese vertere compellitur.* Ex cõc. 3. de Ieiu. 1. Cor. 6.

Ex cõc. 1. de Ieiun. *Ne igitur ad ieiunij ſacra myſteria te introducat ebrietas. Neque enim ad ieiunium per ebrietatem patet aditus, neque ad iuſtitiam per iniuriam ac defraudationem, neque per intemperantiam ad ſobrietatem, neq;, vt in ſumma dicam, per vitium ad virtutem. Ad intemperantiam inducit ebrietas, ad ieiunium contentus paucis animus. Longe antè certaturus exercitatur pugil, longe antè temperans eſſe debet qui ieiunare volet. Ne igitur vt dies vlciſcẽs, ne vt imponẽs legiſlatori, ante hos quinque dies crapulam tibi reponas. Etenim fruſtra laboras, corpus quidem conterens, eſuritioni verò minime ſolatium adhibens.*

Ex cõc. 2 de ieiun. *Dominum non recipit ebrietas, ſanctum excludit ſpiritum. Apes enim fumus abigit, dona verò ſpiritus expellit crapula.*

Vt autem id minime patiamur, caueamus ne illi ingrato vẽtri obſequamur, vt æterna illa bona adipiſcamur, in Chriſto Ieſu domino noſtro, cui, vnáq; eius patri, ſimul & ſancto ſpiritui, gloria, honor, & poteſtas, ſummúmque decus, nunc, & ſemper, & in ſecula ſeculorum. Amen.

DE IRA ET ODIO, Concio XVII.

NIHIL est quod Christiano possit vitio verti magis, quàm quòd ad vlciscendũ promptus sit, atque modis omnibus det operã par pari referre ijs à quibus iniuriam acceperit. Qua enim ratione alterũ docuerit, Malum non reddere pro malo, is qui vt vindictam sumat, atque vt damnum sibi illatum reponat, nihil non experitur? longe à Dauidis mansuetudine aberrans inquientis, Si retribui retribuentibus mihi malum, decidam merito ab inimicis meis inanis. Ex com. in Esaiã. Rom. 12. Psal. 7.

Quapropter oportet furiosum illũ vlciscendi motum, beatorum Dauidis illius exemplorum memoria reprimere, quo modo Semei petulantiã ille mansuete cohibebat. nullum enim excitandæ iræ locum dabat, sed in deum animaduersionẽ transferens, Dominus enim, inquiebat, præcepit Semei, vt malediceret Dauid. quapropter cum appellaretur ab eo, Vir sanguinum & iniquus, non illi succensuit, sed se ipse abiecit humiliauítque, quasi merito sibi contumeliæ intorquerentur. Ex conc. de Ira. 2. Reg. 16

Omnis enim reprehensio quæ quidem planè pungit eum qui reprehenditur, vehementer excruciat, vt quæ sceleris turpitudinem ob oculos ponat: adeo Ex cõ. in Esaiam.

vt hac re nõ mediocriter iuuetur is qui vitia sua nõ agnoscebat, quòd in rerum conscientiam pœnitentiámque acerbam traducatur. Quale enim vulnus tam acrem corpori dolorem intulerit, quàm acerbum animæ tormentum iniungit increpans oratio, scelerum turpitudini coniunctorum conscientiam pertingens?

Ex Epist. *Nullius vnquam corporis character ita cuiusdã proprius esse censetur, vt animi Dei amantis peculiaris propriáque est mãsuetudo pacísque studium. Eum vero qui huiuscemodi virtutibus est ornatus, maxime decuerit cæteros ad se attrahere, atq; propius accedentes, morũ probitate, veluti suaueolẽti odore vnguentum, replere, aliísque ad optima dux esse, non autem sequi eos qui ad ea ducunt quæ minime oportet. Contentiones quoque alijs relinquere, imo verò si fieri possit, ex eorum etiam animis extirpare penitus. Si quando molesta acciderint, his se patientia liberare. Nam vindictam sumere, cuiuslibet irascentis hominis est: ipsam verò iracundiam superare, vnius id solius est, atque eius qui ad illius virtutem propius accedit.*

Ex cõ. in Esaiam. *Quale enim spectaculum, quàm venerandum, quantáque admiratione dignum, humanæ etiam naturæ modum ferè excedens, videre hominem multis conuicijs affectum, accepta quoque vehementi in genas alapa, atque innumera alia passum, cùm dicto, tum facto, summam ignominiæ labem irrogantia, neque iracundia exarsisse, neque ad vindican-*

dum exurrexisse, sed placidè mansuetéque pro eo qui contumeliam iecerit orasse, adeo vt huic peccatorum præteritorum veniam, & in posterum prouidētiam ac curam diuinam nanciscatur congruā. Nunc verò nos, cùm in alijs permultis, tum in eo maxime delinquimus, quòd illatam nobis iniuriā referre pro virili cōtendimus: quam ne æquali quidem lance rependimus, sed eam præter modum vlciscimur: neque solum irascimur, si contumelias accipimus, sed etiam si non honoramur: eos quoque qui minore nos honore prosequuntur, quàm quo dignos nos existimamus, pro inimicis habemus.

Iniuriam tibi intulit iratus quispiam? malum illud silentio siste, neque eius iram perinde ac fluuiū in pectore tuo suscipe, ventos imitatus qui reflatu quod allatum est reddunt. Probris & maledictis te incessiuit ille? tu contrà laudibus illum prosequere. Percussit ille te? patere. Contemnit te, nullóque te habet numero? qui sis memineris: terram te esse & in terram resoluēdum cogita. Obscurum te atque ignobilem, nullóque loco natum dixit? tu terram ac cinerem te esse profitere. Ipso Abraamo patre nostro non es præstātior, qui se & terram & cinerem esse prædicabat. Ignarum te & pauperem pronunciauit? tu vermem teipsum atque è stercore originē duxisse asserito, prophetæ verba Dauidis recensens. Mosis etiam illud præclarum his adijcias, quiquidē Aaron Mariæque conuicijs lacessitus, non dei in eos iram exacuit, sed pro ipsis orauit. Ex conc. de Ira. Gene. 18. Psal. 21.

Tu igitur, si pauperem te appellarit quispiam, si verum dicit, veritatem æquo accipias animo: sin falsum, quid tibi inde incommodi? Ad falsas itaque tui laudes minimè superbias, nec earum gratia magnificentius de te sentias: contumelijs etiam ad te non attinẽtibus haud permouearis. Si in solidum quidpiam ac prædurum sagittas intorseris, nonne eas retundi atq; hinc decidere vides? sin in molle aliquid, quódq; minime obnititur, nonne has illi infixas impetus sui vim amittere cernis?

Quid verò te pauperis perturbat appellatio? tuæ ipsius conditionis tibi veniat in mentem, quòd nudus in hunc mũdum venisti, atque hinc nudus abiturus es. Quid verò homine nudo pauperius? Nihil est in ea appellatione quod graue debeas existimare. Quis vnquam quæso paupertatis ergò in vincula raptus fuit? Ipsa profectò nemini vitio vertenda est paupertas, nisi illi qui eã forti minime fert animo.

Iob.1.

Ex Ethicis.

Quid ipsa ira insipientius? Si lacessentem te patienter tuleris, quia temperantem ac modestum te exhibes, illum tu pudore suffundis.

Ex conc. de Ira.

Nam quemadmodum in seipsum sæuit is qui verbera non sentientem percutit (ita enim neque hostẽ vltus est, neque deflagrauit ira) sic qui patientem afficit iniuria, nullam iracundiæ suæ consolationem inuenire valet: qui verò vindictam sumit, atque parem conuiciatori contumeliam refert, quam poterit defensionem prætexere? ánne quòd prior ille prouocauit? At certe quid etiam veniæ illa meretur excu-

ſatio? Neque enim, qui in meretricem culpam transfert ſcortator, ab illa ſe ad peccandum illectum inquiens, mitius ob id condemnabitur.

Mala res eſt iniuria? hanc tu ne imiteris. neque enim quòd prior aliquis te laceſsiuerit, iudicij ſeueritatem hac excuſatione deprecaberis. Verius igitur fuerit, vt mihi perſuadeo, id etiam prætendere potius ac conqueri, quòd exemplũ non habuerit quod ad temperantiam illam inſtrueret. Tu verò hominẽ ira percitum adeò indecore ſe gerentem intuens, non caues, ne illi ſimilis fieres, ſed indignaris, acerbius obiurgas, obluctaris? quî fit vt quod tu pateris, eo in ſui defenſionem vtatur is qui prior te prouocauit? Si ira quidem mala eſt, cur malum illud non declinaſti? ſin venia digna eſt, quid iraſcenti ſuccenſes?

Nam qui vaniloquo contradicit, is quodammodo illi aſsimilis effici videtur. quare ſapientem arbitror Salomonem edixiſſe, ne quis ſtulto ſecũdum ipſius inſipientiam reſpõdeat. Quemadmodum enim qui imperatori effigiem dedecore affecit, non aliter punitur, quàm ſi in ipſum imperatorem peccaſſet: ſic etiam peccato obnoxius is eſt, qui ei quem ad ſui imaginem deus creauit, iniuriam intulerit. Ex cõ. in Eſaiam. *Prou. 26.*

» *Cũ homine iracundo, inquit, ne conuerſeris. Nã cũ cane colligari, eiúſq; perpetuos audire latratus, mala profectò pernicioſáque res eſt. Illius igitur congreſſum fugito. nam ſi illi te adiũgis, illius vias addiſcere atque his incedere neceſſe eſt. Cõtumelioſum quidpiam in te iecit? te etiam ad iracundiam per-* Ex conc. habita Lacizis. *Prou. 22*

mouit. vt vnius canis latratus, alterius latratũ prouocat: ita quoque sopitam tum ac cõquiescentem in te iracundiam, illius vox & clamor excitauit, adeo vt mutuo alter oblatret in alterum. Deinde veluti protensis inter se aduersi fundis, indecora iaculantur atque intorquent verborum conuicia. Iniuriosum quiddam in te dixit ille? tu aggressorem imitatus, maiori cum fœnore reddidisti: ille vbi repositam in se videt contumeliosi sermonis iniuriam, iræ suæ impetum non repreßit, sed conuersus est, peccatúmque suum quò potuit magnitudinis, eò deduxit. superare conuicijs apud se cõstituit: tu vicißim excipiens, clamoribus tolleris: atque hinc vter malis vincat contentio exoritur: in quo vitiorum certamine qui superior euadit, is est ꝓculdubio miserior.

Ex cõ. de Ira.

Vbi enim sensuum rationem semel exturbarit furibundus ille iracundiæ affectus, atque animi principatum inuaserit, hominem prorsus efferat, atque in belluas degenerare cogit, adeò vt eum hominẽ esse amplius non sinat. Quod enim venenatis animalibus venenum est, id concitatis est ira. Rabie corripiuntur vt canes, aßiliunt vt scorpij, mordent veluti serpentes. Nam primum quidem seipsos irati non agnoscunt, deinde neque omnes pariter familiares. Propter iram, mucro etiam exacuitur, atque hominis, humana manu audetur mors. Eius causa fratres mutuam inter se cognitionem exuunt: parentes verò ac liberi naturalis illius pietatis obliuiscuntur: & quemadmodum confluentes ad concaua torren-

tes, quicquid obuium est, corripiunt: sic etiã violenti ac effrænes irascentium impetus, iter sibi quacunque pariter faciunt. Iniuriarum enim acceptarum memoria, veluti œstro stimulati, animi furore sese discruciante atque exiliente, non prius conquiescũt quàm ei à quo sunt offensi, malũ aliquod intulerint.

Nam cùm ira rebus irritantibus accensa est, vt ingenti lignorum congerie flamma, tum sane tum videre licet spectacula, quæ neque oratione explicari, neque re ipsa tolerari debeant: sublatas contra tribules suos manus, pedes temerè insultantes, quicquid denique in conspectum venerit, pro ipsius insaniæ armis vsurpatum. Quòd si acciderit vt ex altera parte, æquale malum obijciatur & repugnet, ira nempe alia eiusdémque peruicaciæ furor, tum manus inter se conferentes, ea sibi mutuo infligunt, mutuóq; patiuntur, quæcũque eos qui sub tali dæmone militant, pati consentaneum est.

Mutuæ siquidem illæ offensiones, animíque irritationes abiecti, primum quidem exiguæ sunt & curatu perfaciles: temporis verò progressu per contentionem auctæ, immedicabiles prorsus euadere consueuerunt. Quandiu enim quæ dißidio oboriuntur calumniæ, locum habuerint, tandiu suspiciones in peius augeri necesse est. Ex Epist.

Si igitur uideris hominem ira percitum, suos exacuere dentes, eum apro persimilem reputa, quòd interiorem iracundiam dentium attritu subindicet. Ex conc. habita Lacizis.

In huiuscemodi enim certaminibus improbis, mi- Ex conc. de Ira.

ferior ille est cui vicisse contigit, quoniam plus secum peccati reportat.

Ex conc. habita Lacizis. Contra *serpentem illum duntaxat iracundiæ tuæ vim exere. Quid enim iustum reddidit Phinees? nonne iusta in scortantes indignatio atque ira? qui cùm vir esset moribus maxime modestus atq; man-*
Num. 25 *suetus, vbi scortationem Zambre & Madianitidis publicè nulláque cum verecundia commissam vidit, ipsis indecens suæ turpitudinis spectaculum minime occulentibus, id amplius ferre non valens, ambobus simul hasta perfossis in debitam prorupit*
3. Reg. 18 *iram. Elias verò Zelotes, quadringentos quinquaginta turpitudinis & infamiæ sacrificos, & quadringentos sacrificos lucorum de mensa Iezabel comedentes, præmeditata prudentíque iracundia, in totius pop. Israelitici vtilitatem, occidit. Sic fit vt ira bonarum sæpenumero actionum sit ministra.*

Ex Epist. *Iucundius nimirum quispiam videat quem amat irascentem, quàm alteri obsequentem.*

Itaque hos imitari studeamus, neque contra nos, sed aduersus diabolum tantùm, iracundiam armemus, si cæleste regnum assequi velimus, in Christo Iesu domino nostro, cui gloria & potestas, cum æterno eius patre, ac sanctissimo viuificantéque spiritu, nunc, & semper, & in secula seculorum. Amen.

DE INVIDIA, SEV MALEuolentia, Concio XVIII.

PLurimum molestiæ nobis exhibet instantis huiusce temporis iniquitas, in quo & vniuersæ cômotæ sunt ecclesiæ, & omnes concutiuntur animi. contra conseruos enim suos passim ora sua omnes aperuerunt. nullus dicendi mendacij metus, planéque occultata est veritas. Delati enim indicta causa condemnantur: accusatoribus citra inquisitionem adhibetur fides: multúmque iam temporis præterijt, quo quidem calumnijs verberati, delationum flagella sustinemus, eo contenti quòd dominum, occultorũ cognitorem, certissimum calumniæ testem habemus. Quoniam verò iam plerique silentium nostrum ad susceptarũ contra nos criminationum confirmationem vsurparunt, neque nos propter animi lenitatem tacere existimarunt, sed quòd aduersus veritatem os aperire non possemus, idcirco vestram in Christo charitatẽ adhortor, vt allatas ex altera tantum parte accusationes, vt veras, ne prorsus recipiatis. Quoniam, vt „scriptum est, Neminem lex iudicat, nisi prius audie „rit & cognouerit quid egerit. Ex Epist. Exod. 23. Ioan. 7.

Obiectorum verò criminum rationem à nobis reposcite. Et si veraces nos probaueritis, nullus apud

vos relinquatur mendacio locus: ſin ad defenſionem & cauſæ dictionem vocati, remiſſos nos exhibuerimus, tum accuſatoribus noſtris, vt vera crimina inferētibus, credite. Os enim illis oratione noſtra occludere, ſane quàm difficilimum eſt.

Quinimo noſtris defenſionibus ipſos magis irritatum iri, maioráque ac multo grauiora molituros, noſtróque nomini atrociores infamias & maculas inuſturos eſſe, veriſimilimū eſt: quanuis cordato prudentíque iudici ſatis ipſa ſeſe factis prodat veritas: vobíſque, licet ipſi tacuerimus, promptum ſit, quæ fecimus intueri atque perſpicere.

Ex Antirrheticis. *Imprimis autem vos oro atque obteſtor, tum eos qui hæc nūc audituri ſunt, tum etiam eos qui in hæc poſtea incident, ne verum à falſo multitudine diſcernatis, quod præſtantius eſt ac melius maiori parti attribuentes: neque dignitatum ſplendore capti, obſcurari mentis iudicium ſinatis, vel præoccupantiū ordini plus tribuentes, veſtras poſterioribus aures obſtruatis.*

Ex Epiſt. *Oportet enim eum qui audit, Alexādri exemplo, alteram aurium integram abſenti ſeruare. Aiunt enim illum cùm ex familiaribus quiſpiam apud ſe accuſaretur, aurium alteram delatori accommodaſſe: alteram verò manu diligenter obſepiuiſſe, vt oſtenderet oportere eum qui rectè iudicaturus ſit, non ſtatim ab his qui anteuertunt, ſe totum abripi ſinere quò velint: ſed dimidium auditus integrum abſentis defenſioni reſeruare.*

Solent etenim optimatibus manumißi quidã ac liberti adhærere famuli, qui quòd nihil boni habeant quo se claros reddant, ex alienis seipsos malis in principum gratiam insinuant.

Et quemadmodum vultures, multis pratis, multísq; iucundis ac suaueolentibus locis præteruolatis, ad putrida fœtidáque feruntur: muscæ quoq;, quod in corpore sanum atque integrum est prætereũt, vlceri verò sese applicãt: sic etiam inuidi ac maleuoli, vitæ splendorem egregiáque facinora ne respiciunt quidem, marcidis verò toti putribúsque incumbunt. Ex conc. de Inuidia.

Est igitur operæ precium, vt qui rectè sapiunt, idẽ quod Alexander factitent: qui quidem accepta quæ medicum vt suæ vitæ insidiantem accusaret, epistola, cùm eo ipso temporis articulo pharmacũ hausturus sumpsisset, adeò exiguam accusatoris scriptis fidem adhibuit, vt eodem temporis momẽto & epistolam legerit, & pharmacum hauserit. Ex Epist.

Qui igitur proximo probra ingerunt, neque eam quam diximus inquisitionem agunt, hi malam omnino ex sermonis abusu appellationem sibi ipsi comparabũt. Quo enim alio nomine qui calumniatur, eum appellare conuenit, quàm eo quod ex ipsius rei conditione sibi ipse studet imponere?

Quapropter qui obiurgat, det operam ne in calumniatorem degeneret: sed fraterna charitate cõmonefaciat ac castiget, & emendationis gratia reprehensionem suscipiat. Vos quoq; obiurgationum auditores ne sitis, sed castigationũ æstimatores. Ne-

que verò qui obiurgantur, immedicabiles deserantur, ne si vel eorũ scelus palàm factum nõ sit. Quos enim reprehenderitis, ipsi sua quoque agnoscent vitia, & post reprehensiones, à domino veniam obtinebitis, vos à peccatorum ipsi consortio subtrahentes. Qui verò reprehenderint, latentis improbitatis publicatæ mercedem accipient. Si verò ante diligẽtem peruestigationẽ condemnaueritis, nihil iniuriæ accipient illi, nisi quòd ea qua vos complectuntur charitas, quæ nobis omnibus preciosissima possessio est, labefactata videri possit: vos verò præterquam quòd hac ipsa re illos persuadere non poteritis, euangelio etiam aduersari videmini, quod quidem ait,

Ioan.7. » *Nũquid lex nostra condẽnat hominem, ni-*
» *si audierit ab ipso prius & cognouerit quid egerit?*

Ne isthæc fratres charissimi, ne isthæc patiamini, neque falsa hac exhortatione nobis obrepatis, ne horrenda illa domini prædictio nos præueniat, ita

Mat.24. » *inquientis, Quoniam abundabit iniquitas, refrige-*
» *scet charitas multorum.*

Ex conc. de Inuid. *Nam sicut segetibus peculiaris morbus est ærugo, sic amicitiæ tabes est inuidia. Et quemadmodũ qui vir bonus est, is nemini inuideat consequens est: sic calumniatori comitem esse inuidiam nemo est qui ignoret. Et sicut rubigo ferrum, sic inuidentem inuidia consumit. imo verò vt viperas aiunt corroso quo geruntur vtero enasci, sic inuidia se parturientem animum dilaniare consueuit.*

Inuidus ac maleuolus vnicam leuandi sui mali rationem

rationem expectat, si quem eorum quibus inuidet, labascentem conspexerit. is demũ est odij finis, si eum cui inuidet, è beato miserum cernat, & is ærumnosus fiat quem æmulatur. Tum reconciliatur atque amicus est, cùm flentem viderit, cùm lugentem aspexerit. Cum lætanti minimè lætatur, & lamentãtem lachrimis comitatur: & vitæ mutationem commiserescit, à quàm prospera in quàm aduersam fortunam inciderit commemorans: quod quidem humanitate adductus non facit: neque felicem superioris vitæ conditionem, quod præsentibus incommodis condolescat, verbis extollit, sed vt grauiorem misero illi calamitatem moliatur.

Talis erat Saul, qui ex beneficiorum Dauidis magnitudine, belli aduersus eum occasionem arripuit, atque benefactorem suum hasta perfodere tẽtauit. Is enim cum vniuerso exercitu Dauidis opera ex hostium faucibus ereptus, atque ab imminenti à Goliath opprobrio liberatus, ipsum sua manu, ídque ex insidijs, è medio tollere conatus est. Quem cùm deinde exulare coegisset, ne hac quidẽ ratione odiũ suum deposuit: sed tandem educto in ipsum exercitu delectorum militum trium milium numero, deserta perscrutabatur. qui quidem inter persequendum à Dauide deprehensus in eo statu vt eius vitæ necísq; potestatem haberet, eum tamen vir iustus iterum seruauit, manúsque in eum inferre noluit: quo etiã, licet ingenti, beneficio, neque animo ille flexus est. sed conscripto rursus exercitu, eum persecutus est, 1. Reg. 18. 1. Reg. 23

donec in spelunca iterum à Dauide interceptus, huius quidem illustriorem reddidit virtutem, suam verò improbitatem insigniorem fecit.

Genes. 37. De Ioseph itidem ignari quid agerent eius fratres, haud absimile quid fecerunt. Nam si vera quidem erant Ioseph insomnia, qua poterant arte impediri prædicta, ne prorsus euenirent? sin mendaces somniorum visiones erant, cuius rei causa inuident falsa coniectanti?

Ex conc. habita Lacizis. Sed reuera peculiaris quidam est diaboli morbus, inuidia: quæ nullam vnquam medicinam accipit. Qui ex capite laborat, capitis dolorem medico explicat: qui verò inuidia, quid dicet? me male habent fratris bona? ea sane eius est vera sententia, quæ verba efferre neminem non pudet. Quid suspiras? an tui mali, an alienæ felicitatis gratia? Peculiare est haud dubie diaboli malum, inuidia.

Ex conc. de Inuid. Vt enim quæ magna vi feruntur tela, vbi in durum quidpiam miniméque cedens inciderint, in eũ qui intorsit, resiliunt: sic inuidiæ motus nulla parte inuidiosos lædentes, ipsis solùm inuidis vulnera infligunt.

Ex conc. habita Lacizis. In inuidia nanque plurima insunt mala: vtile verò vnicum, quòd ipsi possidenti perniciosa est, magísque animum erodens quàm rubigo ferrum. Inuidus enim parum admodum cui inuidet damno est: seipsum verò ex prosperis vicini successibus mœrore ac suspirijs exhaurit: neq; vicini diuitias hac ratione imminuit, sed se ipse inuidia contabescere cogit.

Qua igitur diligentia curáque ſolemus perfacilem ad vrendum materiam longiſsimè ab igne ſeponere: ea etiam ſtudeamus amicitias noſtras, quoad fieri poterit, ab inuidorum conuerſatione ſeiungere, vt extra inuidiæ iacula collocemur. Ex conc. de Inuid.

Canes enim alendo cicuramus ac mãſuefacimus: inuidiam verò beneficijs proſequentes, infeſtiorem nobis efficimus. Nam *de ijs quibus afficitur bonus, minime lætatur, verùm de aliorum copia & abundantia dolet, quòd ſuam inopiam habeant ipſi vnde expleant.* Ex conc. habita Lacizis.

Naturale aduerſus homines odium gerunt pantheræ, ac in hominum maxime oculos inſilire conſueuerunt. Qui igitur beſtiæ furori volunt illudere, hominis imaginem illi repræſentant in charta: illa verò hominem eſſe rata, præ nimia ira chartam dilacerat: indéque videre licet quali homines odio proſequatur: ſic etiam diabolus vbi deo ipſi facere ſe iniuriã non poſſe cognouit, in eius imaginẽ ſuum odium exeruit.

Velim itaque, ô homo, doloſorum ac maleficorũ exemplum fugias, in imbecilli etiam animalculo fraudis plurimum dolíque animaduertens. cuiuſmodi iſtud eſt: Cancer *ſummo carnis oſtreorum deſiderio tenetur: ſed propter teſtæ ambitum, difficilis illi eſt huius præda. teneram enim eius carnem firmiſsimo natura munimento circumuallauit, qui fit vt oſtracoderma, id eſt teſtam habere ſiliceam dicãtur. Atque vbi duæ illæ conchæ cauæ adamuſsim inter ſe* Ex Hexahemero.

cõmissæ ostreum circumplexæ fuerint, vanas atque inutiles cancro denticulatæ forcipes sint necesse est.

Quid igitur facit? Cùm deprehendit eam in serenis ventóque carentibus locis cum voluptate apricantem, atq; ad solis radios suas pandentẽ conchas, tum calculo clam interiecto, commissuram impedit, atque virium suarum imbecillitatem ille hoc artificio adiuuare dignoscitur. Hæc illa est animalium quæ & ratione & voce carẽt malitia. Talis est qui fratrem dolo aggreditur, quíque proximi angustias obseruat, atque alienis calamitatibus insolentius exultat.

Verùm neque mihi silentio prætereundi fuerint polypodis doli versutiæq;, qui semper ad quamcunque se petram applicuerit, eius colorem subit, adeò vt piscium plerique incautè innatantes in polypodem incidant, nempe petram, promptáque versuto illi præda fiant.

Hos profectò morum similitudine referunt hi qui semper principatum tenentibus magistratibus obrepentes, atque vt sui commodi vsus poposcerit, transformati, neque idem semper consilium & institutum seruantes, sed modo hi, modo alij facti, ad vniuscuiusque libitum suam sententiam transmutant: quos non vitare facile est, neque sibi ab eorum fraude cauere, propterea quòd altè contextam improbitatem amicitiæ sincerioris pretextu velauere.

Ex Ethicis. *Intimum enim in cordis profundo continentes odium, coloratam amicitia superficiem ostendunt,*

latentium in mari scopulorum more, qui quidem aqua occultati modica, improuisum incautis malũ adferunt.

Ad calumnias igitur minime obmutescẽdum est: non vt refellendo nos ipsi vindicemus, sed ne prosperos successus habere mendacio permittamus, neque deceptis offensionem accipere sinamus.

Tribus enim damnum simul adferre calumniator solet: primùm ei quem falsò insimulat: illi deinde apud quem accusat: postremùm, ipse sibi. Ex Hexahemero.

Cùm igitur calumniari, atque intemperantis linguæ proteruitate, animíque improbitate criminari, peruersorum simul & infestorum hominum esse non ignoremus: omnem verò operam studiúmque in eo collocare, vt quibus falsa improbitatis nota inusta est, calumniosè id actum fuisse certis argumẽtis probetur, virorum esse temperantium, prudentíque suo consilio plurimorum securitatem nõ parui facientium: priorum fugiamus malitiam: horum verò qui illis maximè sunt dissimiles, vitæ rationẽ & institutum imitemur, vt futurorum etiam bonorum participes efficiamur, in Christo Iesu domino nostro, cui gloria, & potestas, nunc, & semper, & in secula seculorum. Amen. Ex Antirrheticis.

DE TEMPERANTIA ET INcontinentia, Concio XIX.

Ex conc. quæ vtil. ex prof. libr. capi poßit.

ALEXANDER Macedonum rex, cùm Darij filias admirandæ pulchritudinis testimonio insignes bello cepisset, ne videre quidẽ eas dignatus est, turpe esse inquiens, vt qui viros superaret, à mulieribus vinceretur. quod quidem eòdem spectat quò præceptum,

Mat. 5. » Qui viderit fœminam ad cõcupiscendum, iam mœ» chatus est eam, videlicet qui ad voluptatem mulierem inspexerit, licet reipsa non fuerit mœchatus, sed animo concupiuerit, is profectò culpa non vacat.

Ex cõ. in Euang. Matth. Si igitur fortuiti illi congressus adeo periculosi sunt his qui curiosius contemplantur, quantomagis de industria disquisiti occursus vt videas mulieres inuerecũdè se gerentes, atque dissolutarum speciem præbentes, lasciua concinentes carmina, quæ solùm audita nullum non voluptatis œstrum in intemperantium animis ingenerare poßint.

Ex com. in Esaiã. Quid igitur dicent, aut quid defensionis adferent hi qui talibus spectaculis infinitam malorum multitudinem sibi collegerunt? nonne inceuitabili dei sententia sunt adulterij rei?

Possumus enim & sermone adulterari, & oculis mœchari, ipso quoque inquinari auditu, dignáque

piaculo flagitia corde admittere, necnon immoderato cibi potúsque vsu temperantiæ finibus excidere. Qui verò per continentiam sub virginitatis regula in his omnibus permãserit, is palàm ostendit se prorsus perfectæ virginitatis gratia donatum.

At si castitatis nomine quispiam glorietur, ipsa verò similia his qui vnà cum mulieribus versantur agat, illum palam est pudicitiæ laudem aucupari, turpis verò voluptatis vitio non abstinere.

Non igitur qui intemperans est, is mundus est, sed qui carnis prudẽtiã ac sensum spiritui subiecit. Qui verò temperantiæ desiderio capitur, historiã Ioseph sæpius euoluat, atque hinc egregia temperantiæ facinora discat, quem non solùm continentem voluptatum reperiet, sed virtuti votis omnibus addictũ. Ex cõ. in Esaiam.

Ioseph siquidem vita, egregia est ad temperantiam exhortatio: ad fortitudinem verò, Sampsonis rerum gestarum narratio. Temperantem autem illum appellamus, nõ in quo præ senectute, aut ægrotatione, vel alio quouis casu obstupuerunt ac hebetatæ sunt intẽperantiæ appetitiones. inest enim huic adhuc vitium, sed ne scelus committat, organorũ imbecillitate præpeditur, sed tẽperantia est vera quædam prudénsque vis in animo altius impressa, & quæ insunt turpium affectuũ vestigia penitus exterminans. Ex cõ. in martyr. Gordianum.

Neque enim quibus abscissa sunt pudenda, hi temperantiæ nomine laudandi sunt: neque enim equos, quia cornu minimè petant, commendamus: sed eos

quidem certè, si non recalcitrent, laudabimus: in bobus autem, si cornu non feriant, mansuetudinē probabimus. Non enim eius virtutem admiramur qui ab eo abstinet quod non potest: sed eius qui cum possit, sua ad improbè agendum facultate non vtitur.

Ex adhortat. ad baptis. Itaque illa quæ senibus inest temperantia, nō temperantia est, sed lasciuiendi impotentia. Mortuo nulla decernitur corona: nemo itaque propter ereptam peccandi facultatem, iustus est.

Ex conc. quæ vti ex profa. libr. capi possit. Consentaneum est igitur, vt suum omnes corpus castigent, eiúsque furiosos, veluti bestiæ, impetus cohibeant, & ab ipso ingeneratas in animo perturbationes ratione tanquam flagello sedent ac comprimant: non autē omni voluptatis fræno laxato, mentem negligant, quæ aurigæ in morem ab effrænibus & peruicacibus equis violenter abrepti transuersa rapiatur: Pythagoram imitentur, qui cùm suorum quempiam intellexisset exercitationibus atque cibus molliter opipareque cutem curare, hoc ad eum sermone vsus est, Nunquam desines molestius tibi ergastulum construere? Propterea etiam aiunt Platonem, cùm præuideret quid detrimēti ex obesi corporis mole accederet, Academiam, insaluberrimum Atticæ locū, occupasse de industria sibiq; delegisse, vt nimiam corporis vbertatem, veluti luxuriantes vineæ palmites, amputaret. Ego verò à medicis audiui, periculosam esse corporis optimam & ad summum perductam constitutionem. nimia enim corporis cura, ipsi primùm corpori est inutilis: animæ

deinde est impedimento. cui hanc subijci atque inseruire, perspicua sane dementia est. Qui igitur in eius se voluptates immergere perinde ac in cœnum noluerit, totius illi corporis abijcienda cura est: aut certè eatenus illud amplectendum, quatenus ad cõparandam philosophiam necessarium esse Plato iudicauit, eadem fere quæ Paulus inquiens, qui nihil corpori curæ impendendum esse in libidinum occasionem admonet. Rom.13

Verumenimuero nostræ sese ita res habent. Intemperantes autem lasciuæq; mulieres, dei timoris obli- Ex cõ. in Euange. Matth.
tæ, ignis æterni contemptrices, eo die quo ipsas oportebat ad dominicæ resurrectionis recordationẽ domi suæ sedere, atque diei illius suscipere cogitationem, quando aperientur quidem cæli, de cælis apparebit iudex, dei tubæ, mortuorum resurrectio, iustum dei iudicium. & cuique retributio secundum Matth.19
opus suum: illæ, inquam, cùm hæc attentius mente atque memoria repetere deberent, suum animum impuris cogitationibus repurgare, lachrimis prius admissa delere peccata, præparare se in occursum Christi, quando magna illa die is adueniet, decusso Christianæ seruitutis iugo, abiectóque suis è capitibus inuerecundiæ velo, contempto deo atque angelis eius, omníque viri conspectui pudore incusso, capillos in humerum spargentes, tunicas trahentes, pedibus quoque ludendo lasciuientes, omnem adolescentium libidinem ad se ipsæ prouocantes, constitutis ibi choris vbi ante vrbem martyrum monu-

menta restant, in suæ impudentiæ tabernam sacris locis abusæ sunt.

Aërem quidem ipsum impudicis contaminauerunt cantilenis, terram verò impuris polluerunt pedibus, quam adhibita adolescentium sui spectatrice turba, saltationibus conculcauere: petulantes re vera prorsúsque vecordes, ad quarum summam insaniam nihil adijci poßit amplius.

Rides, quæso, atque effrænata indomitáque voluptate frueris, cùm oporteat te lachrimis ac lamẽtis, ob ea quæ antea commisisti, dedere. Cantilenas concinis, reijciens ac respuens ore quos edocta fuisti hymnos atque psalmos: motitas pedes atque insanè exilis, ac immodulatè tripudias, cùm te ad adorationem genua flectere conueniat. At verò quas defleo? puellásne thori nuptialis expertes, an eas quæ connubij iugo detinentur? nam illæ quidem profligata redierunt pudicitia: hæ verò promissam viris suis castitatem minime reportarunt. quia si fortè nonnullæ peccatum corpore etiam effugerint, corruptis nihilominus animis vitij hausere contagionem.

Quapropter omnis mulier quæ vestium suarum cultu abusa fuerit, eum sibi ablatum iri expectet. Quoniam enim peplum post se trahentes incedunt, neque eo vt vestimento vtuntur, at potius abutuntur, eius iubentur gloria spoliari. Nam & dominus indumenti honorem à nobis aufert, si conculcantes illud & corporeis inquinamentis cõspurcantes, aliter quàm deceat ipso vtamur. At verò huiuscemodi

" *indumẽtum quodnam est? inquit, Quotquot in Christum baptizati fuistis, Christum induistis: quẽ quidem ab his qui peccatis corpus cõculcant, atque testamenti sanguinem communem existimant, aufert dominus.* Galat. 3.

Mulieres igitur quæ ob egregiam formæ pulchritudinem superbiunt, cæteras præ se floccifaciunt, insolescentes vanissimè, atque re cito depereunte ac effluente intumescentes: itáque vt omnibus conspicua sit suæ formæ elegantia, erectas ceruices ferunt.

Pudica sane modestísque ornata moribus, aspectu præ verecundia in terram inclinato, vultum habet humi demissum: impudica verò & quæ pulchritudinis suæ laqueis vt multos irretiat dat operã, sublata progreditur ceruice, & in impuris oculorum nutibus, animi sui lasciuiam aspectu subindicat, & mortiferum quoddam oculis venenũ emittit, quale etiam basilisco inesse fama est, quem quidẽ solo aspectu quos viderit, necare aiunt.

Quia autem quidam sunt colores illustrãdæ ornãndæque mulierum formæ aptissimi, albus & rubeus, itémque niger: atque ille quidem corporis candorem ementitur: rubeus verò genis veluti florem superinducit: niger etiam arcuatis superciliis oculos circunscribit: hæc quoque se erepturum dominus comminatur. Ne inquit, virorum decipiatur temperantia, ac ne huiuscemodi fucis miserorum adolescentium fascinentur oculi. Improbi enim mulierũ affectus imbecillos contubernalium animos demer

gunt. Audiant viri, audiant fœminæ, quomodo maiori in precio etiam apud bruta animantia sit viduitatis castitas, quàm repetitarum nuptiarum indignitas.

Qui viuo hostes alioqui fuere, mortuo reconciliantur: nouercæ verò post mortem, odij sui vim exercere incipiunt.

Verùm turturem aiunt semel à coniuge separatum, nullius postea consortium admittere, sed cælibem manere, demortui comparis recordatione, alterius societatem recusans.

Ex cõ. in Esaiam. *Quid igitur nobis esse possit miserius, qui non solùm similem bestijs erga coniuges amorem nõ ostendimus, sed cõtrariam domini præceptis ingredimur viam? erecta ceruice, & oculorum nutibus, colorúmque fucis aliorum suffuramur temperantiam: quæ tùm à nobis prorsus auferentur, cùm iudici illi summo nuda repræsentabuntur omnia: tum decidẽs supercilium, demissæ mœrore genæ, pallidúsque præ timore color existet, ac recipiet vnusquisque secundum opera sua. Quæ animo & cogitatione complexi charissimi, festinemus dum tempus est, vitæ nostræ actiones ad dei omnipotentis normam dirigere, vt futurorũ etiam bonorum participes efficiamur, in Christo Iesu domino nostro, cui gloria in secula seculorum. Amen.*

DE HVMILITATE ET INANI gloria, Concio XX.

FIERI non potest ut qui præ cæteris indigentem omniúmque infimum se non agnouerit, potuerit aliquãdo aut cõuicio iactatus iracundiam continere: aut oppressus, tentationes patientia superare. Ex com. in lxi. Ps.

Qui verò summa est humilitate præditus, in cõuicijs abiectiorem se agnoscens, his verborum opprobrijs animo non commouebitur: sed si pauperem se appellari audierit, agnoscit se pauperem esse, omniúmque indigentem, & quotidiana domini suppeditatione maximè opus habere. Sin ignobili loco atque obscuris parentibus ortum, se ex luto factũ suo iam animo compertum habet: atque, vt breuiter dicam, ille demum apud deum magnus est, qui humilem se proximo exhibet, crimináque licet falsò intentata, inuerecundè in se recipit, vt summam vtilitatem, pacem nimirum, fratri gratificari valeat.

Nam perinde difficile est, in rerum angustia æquã mentem seruare, ac in earum amplitudine, ab insolẽtia temperatam. Superba nempe ingenia quò plus officiosè colueris, eò seipsis fastidiosiora effici consueuerunt.

Humilem autem deiectúmque animum tristis fe

largitor: & qui vt hominibus placeat, à vitijs se continet, minimè temperans est, quia non virtutem ambit, sed quam illa parit gloriam, aucupatur. Poterat enim Ananias ab initio suas deo possessiones non polliceri: at postquàm humanæ gloriæ cupidus, suas res deo consecrauit, vt in sui admirationē, suæ liberalitatis nomine, homines adduceret: de precio verò fraudauit, talem dei in se indignationem concitauit, cuius Petrus erat minister, vt ne pœnitendi quidem locus illi relictus fuerit. Dominus enim qui superbis resistit, peccatores etiam ad terram vsque humiliat, superborum se petulantiam deiecturum pollicetur. Qui igitur superbos humiles facit, id certè præstat, vt eos diabolo, qui superbiæ pater est, dissimiles efficiat. in id verò eos adducit vt doceantur ac discant quod ille ait, Discite à me quia mitis sum & humilis corde. *Act. 5.* *Iaco. 4.* *Matt. 11.*

Quid de te magnificentius cogitas, quòd populorum agmina ceciderus, atque ciuitatum potentatus subuerteris? Nonne ea etiam ratione securis insolescere possit, quòd excelsas superbásque arbores humi deijciat? ipsa quoque serra, quòd solida firmáque ligna diuidat? At verò neque sine manibus scindit securis, nec absque trahente se diuidere serra potest. Ex conc. de Humilitate.

Quòd si proximum conspexeris peccantem, ne id in eo solùm contemplare: cogita verò quæcunq; ille aut fecit, aut facit bene, atque ita sæpius præstantiorem te illum inuenies, si diligenter omnia inquisieris, neque singulas eius actiones particulatim re-

censueris atque æstimaueris. Deus enim hominẽ minutatim non examinat. Nam ego, inquit, opera & cogitationes eorum accumulaturus venio: & cùm aliquando Iosaphat increpasset, ob admissum recẽs peccatum, illius etiam rectè factorum meminit, his
2. Par. 9 » ad eum verbis: Veruntamen bona opera in te in-
» uenta sunt.

Ex conc. quomodo quis sobrius esse debeat. Illum igitur qui plurimum grauitérque offendit, mitis plerunque modestíque animi humilitas liberat. Ne ergo te altero existimaueris iustiorem, ne tuo ipsius calculo te iustum iudicans, dei postea sententia condemneris. Bene te quidpiam egisse arbitraris? Deo omnipotẽti habe gratiam: ne supra proximum insolenter te efferas. Quod enim, quia fidem professus es, aut pro Christi nomine exilium sustinuisti, aut in ferẽdis ieiuniorum laboribus fortem te præbuisti, proximo adiumentum attulisti? Illi nihil inde lucri, sed tibi plurimum accedit. Antiqui illius diaboli lapsus similitudo, timorẽ tibi incutiat, qui quidem supra hominem elatus, infra hominem corruit, & quem calcabat ille, huic calcandus traditus est. Verissimi illius adagij omnino memineris,
1. Pet. 5 » Deus superbis resistit, humilibus dat gratiam. Sem-
» per tibi sit in promptu domini verbum, Omnis qui
Luc. 18. » se humiliauerit, exaltabitur.

Ne sis tui ipsius iniquus iudex, neque in te examinando tibi blandiare, si quid à te rectè factum putes, id in tui suffragium numerans, malefactorum verò lubenter obliuiscens: neque hodiernis quidem

rectè

recte factis intumescas, ob ea verò quæ paulo antè ac iampridem male egisti, tibi indulgeas. At cū præsentium tete actionum conscientia extulerit, præteritarum tibi veterúmque in mentem veniat: túncq; stupidum illum tumorem in te conquiescere facies.

Nam seipsum perfectè nosse, difficilima proculdubio res est. Neq; enim soli id oculo accidit vt exteriora videat, visúsque facultatem in seipsum minime reflectat: imò ipsa etiã nostra mens, cùm aliena peccata perspicuè intueatur, ad suorum cognitionem serò tardéque peruenit. Ex Hexahemero.

Ne sis in obiurgando grauis ac molestus, neque statim, neque perturbatè reprehēde: temerarij enim audacísque id hominis est: neque ob exigua & minuta quædam condemna, ac si seuerior iustitiæ obseruator esses. Sed in peccato deprehensos assumens, spiritaliter illos instrue, vt admonet apostolus, considerans teipsum ne & tu tenteris. Ex conc. quomodo quis sobrius esse debeat. Galat. 6

Nam si qua re offendimus; commonefacti meliores euademus. si verò nihil delinquimus; cur odio habemur? Ne hanc animo tuo cogitationem concipe, nullius alterius te communicatione indigere. Seipsum enim à fratrū coniunctione contubernióq; seiungere, non est in charitate ambulantis, neq; Christi mandata obseruantis, ne fortè ista belli calamitas quæ in orbem grassatur, ad nos tandem veniat. Quòd si bellicum illum insultum, cum alijs non senserimus, neque etiam qui nobiscum doleant, inueniemus: propterea quòd dum placida animi alacri- Ex Epist.

tate frueremur, commune prius cum afflictus commiserationis symbolum non præsumpsimus. Perinde autem ignotus esse omnino, mihi charum, vt gloriæ cupidus ab omnibus celebrari.

Ex conc. quomodo quis sobri⁹ esse debeat *Tu igitur non minore studio hominum gloriam fugias, quàm accurata diligentia alij eã persequuntur. Sed qui magistratum geras dignus habitus es, ac colunt te & honore prosequuntur homines? æqualem te subditis præsta. Nã qui primus esse vult,* Matt. 20 Marc. 10 *eum dominus plus quàm cæteros seruum esse iussit.*

Ex cõ. in Esaiam. *Magnus ille Moses, quo nemo vnquam tractabilior atque obedientior fuit, cùm ad populum mit-* Ex.3.4. *teretur,* » *Obsecro domine, inquiebat, præfice alium* » *quẽ mittes. Qua re effecit vt contentiosius & quasi obstinatius instaret dominus atq; vrgeret, hac ipsa excusatione suæque imbecillitatis confessione ostendens, quàm dignus esset qui præesset. Quapropter* Eccles.7 *bene habet illud præceptum, Ne iudex fieri ambias,* » *ne iniquitates auferre minime possis. Propheticus* » *siquidem sermo, non talem fuisse suam excusationẽ omnino ostendit, qualis eorum esse solet qui à seditiosis ad imperium asciscuntur. Neque enim simpli-* » *citer dixit, Non ero dux, sed adiecit, Nõ ero dux po-* » *puli huius. causam quoque subiunxit, Quia linguæ* » *ipsorum cum iniquitate: domini mandatis non ob-* » *temperant. Ac Moses quidẽ ad vitæ huius splendorẽ tantique populi præfecturam accitus, eam à se de-* Exo.3. » *precabatur, Quis sum ego vt vadam ad Pharaonẽ* » *regem Ægypti, & educam populum de Ægypto? Ac*

» rurſus, Obſecro domine, non ſum eloquens ab heri Exod. 4.
» & nudius tertius, & ex quo locutus es ad ſeruum
» tuum. Atque iterum, Obſecro domine præfice alium
» potentem, quem mittas.
» Dominus autem ad illum, Vade, inquit, & duc
» populum iſtum, mittámque angelum meum ante te.
» Quid igitur Moſes? Obſecro domine, niſi tu ipſe præ-
» ceſſeris nos, ne hinc nos abducas. Eſaias autem, cùm
» nihil tale audiiſſet, ſed ſolam edoctus ſuæ legationis
neceſsitatem, lubens ſeipſum tradidit, atque in media ſe pericula iniecit. Quænam igitur horum virorum mēs, quíque ſenſus? Moſis hæc erat cogitatio, quòd peccator eſſet populus, atque eo indigeret cui remittēdorum peccatorum eſſet facultas, quod quidem angelis minime conceſſum eſt: vlciſcendorum quippe puniendorúmque ſcelerum illis permiſſa eſt facultas, condonandorum verò, neutiquam. Veniat
» igitur, inquit, verus ille legiſlator, omnipotens ſer-
» uator, qui ſolus remittere peccata poteſt. Eſaiæ ve-
» rò, quòd præ charitatis exuperantia atque ardore, nihil eorum quæ ſibi à populo timere poterat, expēderet ſecúmque reputaret. Horum vtriuſque facta imitemur, vt futura quoque bona conſequi poſsimus, in Chriſto Ieſu domino noſtro, cui, vnáq; eius patri, ſimul & ſancto ſpiritui, gloria, honor, poteſtas, nunc, & ſemper, & in ſecula ſeculorum. Amē.

DE PROSPERA ET ADVERSA fortuna, & de prudentia, Conc. XXI.

Ex cō. in Prouer. initium.

PROSPERÆ fortunatæque res, & quæ magno studio à quamplurimis affectantur, neque perstant, diúve permanent: neque etiam infortunatæ ac luctuosæ, solidæ firmæq; sunt: sed omnia fluctui cuidam turbulentaque agitationi, improuisis etiam mutationibus subiacent. Nam neque bona corporis valetudo, neque iuuentutis flos, neque familiæ prosperitas, neque reliqua vitæ huius moderata aptáque dispositio, diu multúmque durare potest: sed dum faustum felíxque huius vitæ iter conficis, obortam iri aliquando molestiarum tempestatem expecta.

Venient enim morbi, veniet paupertas, ventus nō semper à tergo puppim vrgentibus: sed cōspicuum etiam præ cæteris atque beatum inopinatæ sæpenumero ignominiæ opprimunt, omnémque vitæ serenitatem repentini casus, violentarum procellarum more, perturbant: tibíque malorū continua sæpiúsque repetita series adest fluctuum instar, qui quidē alij post alios excitantur. Hæc verò aliquando præteriisse, vitámque ad hilaritatem albescentémque reuera tranquillitatem transiisse cernes.

Quemadmodū enim mare non potest longo tem-

poris spacio idem manere: planum quippe illud atq; quietum nūc videbis, deinde paulò post rapidis ventorum flatibus exasperatum: ac vice versa ferociens tempestate atque efferuescens, alta stratum serenitate conspicies. sic huiusce vitæ conditio, facile ad vtrunque conuertitur.

Quapropter gubernatore est opus, vt in summa vitæ tranquillitate, succedentibus etiā illi pro animi sententia rebus omnibus, mutationem nihilominus expectet, neque in his quæ adsunt vt in immortalibus cōquiescat, nec in molestissimo etiam rerum statu meliora desperet, ne abūdantiori mæstitia absorptus submergatur. Nam ille demum prudens est gubernator, qui naturæ scopum quo tendat sibi proponens, ea quæ accidunt moderatur, sibíque semper similis, neque prosperis extollitur, neque aduersis corruit.

Itaque serenitatis faciendæ gubernatori cū vult non est potestas: nobis verò tranquillā vitā comparare perquàm facilimum est, si interiores quos affectus concitant perturbationes, sedemus, ac exterioribus casibus superiorē excelsiorémq; constituamus animum: quoniam qui varijs vitæ huius curis vehementer distinentur, veluti corpulentæ aues, alis frustra præditæ, deorsum cum pecudibus trahūtur. Ex Epist.

Plerique verò multis sæpenumero à iuuentute collectis, cum ad mediam vitæ ætatem peruenerunt à tentationibus obsessi, quas improbi admouent spiritus, grauissimum tempestatis pondus sustinere non Ex cō. in Prouerb. initium.

potuerunt. Quare horum omnium iacturam fecere, quia clauo ac gubernaculo essent destituti. Atque alij quidem fidei naufragium fecere: alij verò irruẽte in procellæ modum sæua voluptate, quam ab adolescentia sibi comparauerant temperantiã, amiserunt. Miserandum maximè spectaculum: post ieiunium, post vitam duriter transactam, post orationẽ longius protensam, post copiosas vberésque lachrimas, post viginti ferè aut triginta annorũ continentiam, per segnitiem animi atq; negligentiam, omnibus denudari: atque eum qui in conficiendis dei mandatis multus fuerat ac diligens, similem fieri prædiuiti cuidam mercatori, qui quidem mercium suarum multitudine gloriabundus, naue sua secundis ventis delata, horrida percurrens maria, prope portum ea fracta, omnibus repente spoliatur.

Huiuscemodi enim hominum deus noster miseretur. Misericordia siquidem est animi motus eorum, qui quoniam alios vident præter modum depressos, dolo afficiũtur. Eius enim miserescimus qui ab ingẽti diuitiarum copia, in extremam lapsus est inopiam: eius etiam qui è firmißima corporis constitutione, in summam membrorum imbecillitatem deiectus est: eius denique qui ob eximiam corporis pulchritudinem atque decorem sibi admodum placens, turpißimis postea morborum generibus labefactatus atque corruptus est.

Quoniam igitur in illa paradisi mansione eramus aliquando nos etiam gloriosi, humiles deinde

atque obscuri nostra ruina facti sumus: ideo cernẽs deus quantum ab illis mutati simus qui fueramus, nostri miseretur. Propterea appellabat Adã lamen-
„ tabili atque miserantis voce dicens, Adam vbi es? Genes. 3.
Neque enim qui omnia nouit, doceri aut discere vo lebat, sed eum expendere qualísnam esset eius cõpa
„ ratione qui esse solebat. Vbi es? ac si diceret, à quam excelso dignitatis gradu in qualẽ tu ruinã descẽdisti?

Oportet igitur rationem supremum apud nos lo cum sortitam, veluti iudicem, singula quæque iudi care atque examinare, tum quæ admittenda sunt, tum etiam quæ minimè: atque ea cum diligenti iudicio assensionibus atque approbationibus rerum, rectísque animi consilijs discutienda permittere: Ex cõ. in Esaiam.
„ quod quidem innuere voluit Paulus dum ait, Nam 1. Cor. 11.
„ si nos ipsos diiudicaremus, nõ vtiq; diiudicaremur.

Ne igitur curiosius futura indageris, sed præsentia ad vtilitatem compone. Quid enim tibi proderit, longe antè prænosse? si certè bonum erit quod futurum est, eueniet, licet non prænoueris: sin molestum, quid inde tibi lucri accedit, dum longe antequam acciderit, mœrore te conficis?

Duplex est prudentiæ nomen: alia enim est peculiaris commodi cautio, & insidiarum instantium euitatio: qualis serpentis est suo capiti, ne conteratur, cauentis. alia verò esse videtur morum versuta improbitas, quæ quod sibi vtile est, ocyssime excogitat, & simpliciores dolis decipit: cuiusmodi dispẽ- Luc. 16.
satoris iniquitatis illa est. At vera synceráque pru-

dentia est cognitio eorum quæ facienda, quæ'ue minime facienda sunt: cui qui adhæserit, nunquam à virtutis actionibus desistet, neque vnquam in improbitatis pernicie relinquetur. Quãdoquidem verò vnicuique nostrûm non datur à seipso inuenire quid factum oporteat, propterea beneficus erga nos deus, qui consulant nobis dat, nõ qui potestate quod libeat imperet. Imperatoris enim peculiare est, subditis quid fieri velit statuere atque imperare: consultoris verò, volentibus ea persuadere quæ conducere videbuntur. Itaque nostrûm vnusquisque se arbitretur, non vt principem populo, sed vt consultorem à domino datum: qualem Paulus noui se testa-

2.Cor.8 » menti consultorem ostendit, cum ait, Consilium ve-
» rò do, vt misericordiam consecutus à domino. Magnum verò beneficium atque adiumentum est, si prudens beneuolúsque consultor est, qui quod deest prudentiæ volentibus supplet. Quantum autem vtilitatis à recto prodeat consilio, Moses imprimis ostendit vir omni Ægyptiorum sapientia instructus, qui vt

Exod.18. amicus amico, ita cum deo colloquebatur.

Hic à socero suo Iethro, consilium accepit, vt tribunos præficeret, centuriones, & decanos, qui iudi-

2.Reg.17 carent populum. Dauid quoque consultore Chusai vsus est, cuius opera, militare Architophel consiliũ dissipatum est. Atque, vt breuiter dicã, diuina prorsus res est consilium, opinionis coniunctio & vnitas, charitatis fructus, humilitatis demonstratio. Intoleranda enim arrogantia est, arbitrari nullius se

indigere, sed sui solius sententiæ stare, ac si solus is sit qui optima consulere valeat. Nos verò his qui recta consulunt, nos ipsi dedere ægrè consentimus: atque eos qui vitæ sanctimonia nos antecellunt, prudentiores nobis esse, cōfiteri erubescimus. Qui verò antè quàm quidpiam statuere velit, consultorem expectat, suis etiam ille cogitationibus locum præbet, vt cum diligentiori inquisitione, ac attentione diutius inuestiget quod opus est facto.

Magna igitur mortalium vitæ prouenit ex cōsilio vtilitas: propterea quòd nemo sibi solus ad ista sufficere poßit, sed in eorū delectu quæ conferunt, cōmunicatione indigeat magis, quàm in cæteris corporis actionibus. Itaque qui nemine homo cōsultore vtitur, nauigio gubernatoribus destituto similis est, quod quibuslibet ventorum flatibus committitur. Si ergo cùm de vulgaribus negocijs agitur, consultores assumimus: cùm de ijs quæ ad animum attinent, consultamus, quid non præstantißimos disquirimus? Cui verò optimum allatū est consilium, vanam autem animi sui voluntatem sequitur, ipsi Roboam non est absimilis, qui contempto seniorum salubri consilio, adolescentioribus vnà secum educatis adhæsit, quorum causa, decem sui imperij tribubus priuatus est. 3.Reg. 12

Sic intensa in iustos consilia, in consultorum capita redundant, vt à solidis atque obnitentibus corporibus quæ in ea incidunt sagittæ, ad intorquentes redeunt. Dominus enim omnes qui se diligunt cu- Psal. 144.

ſtodit, atque omnes peccatores diſperdet: quoniam illi debetur omnis gloria, honor, & magnificentia, nunc, & ſemper, & in ſecula ſeculorum. Amen.

DE PROVIDENTIA, Concio XXII.

Ex Hexa hemero.

TANTA eſt ac tam multiplex creatoris noſtri in ſtatuendo ac iubendo intelligẽtiæ fœcunditas, quot ſunt rerum creatarum diſsimilitudines & conuenientiæ: quas omnes qui perfectè recenſere voluerit, perinde eſt ac ſi maris vndas enumerare conetur, vel vniuerſam maris aquam manuum dimetiri volis tentet.

Quis enim poſsit quæ vitæ ſingularum auium propria ſunt & peculiaria, ſatis accurata oratione perſequi? qua ratione ciconiæ quidẽ omnes vno eodémq; ac ſtato tẽpore hu in locis inhabitent, itidémque vnico veluti ſigno dato diſcedãt omnes: quodquidem à rationis intelligentia non longè abeſſe videtur. quo etiam modo hæ à cornicibus ſtipentur ac deducantur, adeò vt confœderationem inter ſe aduerſus inimicas aues iniiſſe exiſtimem. Eius autem rei id imprimis indicio eſt, quòd eo ipſo tẽpore, nulla omnino cornix appareat: deinde ꝙ è vulneribus

quæ redeuntes reportant, euidentia ostendãt signa, se illis auxiliatrices bellíque socias fuisse. Quis illis hospitalitatis leges explanauit? quis exercitus desertionis accusationem illis minitatus, adeò vt ab illarum comitatu ac deductione ne vna quidem abesse videatur? Grues autem per vices nocturnis temporibus excubias agunt: atque aliæ quidem dormiunt, aliæ verò circumeuntes, securã cæteris quietem præstãt: deinde quæ cõpleuit suæ vigiliæ tẽpus, clamorem edit, ac ad somnum conuertitur. quæ verò ad custodiam successura est, eius quam habuit securitatis illam vicissim participem facit. Eundem quoque inter volandum ordinem seruant. alio enim tempore alia cæterarum dux efficitur, & cùm certum quoddam tempus volando præiuerit, postremã se omnium collocans, se proximè sequenti ducendi prouinciã tradit. Vos autẽ qui de illa immutatione, quæ resurgẽtibus accidit, dubitatis, reuocata in mentem bõbycis mutatione, manifestã resurrectionis notionem suscipite. vos etiam qui mysterium nostrum vt quod fieri nequeat, deridetis, ac qui virginẽ integra & immaculata virginitate, parere alienum à natura ducitis, velim intelligatis deum hac re apprime delectatum, innumeras ipsius naturæ occasiones & argumenta, vt fidem nostram admirãdis rebus præoccupando assuefaceret, obtulisse. Nã vulturibus absque vlla coniunctione parere dedit: quibus adeò longa est vita, vt ad cẽtesimum etiam annum protẽdatur: atque ita in rebus omnibus, nobis

perspicua miraculorū suorum monumēta reliquit.

Est verò ipsis quoque piscibus, suus quidam prudens habitus benéque dispositus ordo, quorum vnumquodque genus nouit distinctam sibi à natura vitæ rationem: præfixósque in mari limites pro ciuitatibus aut pagis quibusdam, antiquáque patria inhabitant.

Iam verò ex ijs quidam sedes mutare soliti, veluti communi quodam decreto in exilium missi vnico omnes quasi signo dato discedunt. Nam cum destinatum fœturæ tempus aduenit, alij ab alijs finibus migrantes, in septentrioni subiectum mare, communi excitati naturæ lege festinant. Dúmque in id ascēdunt, confertim omnes atque in vnum collectos, instar fluenti cuiusdam per Propontidem in Euxinum decurrere videre est.

Quisnam illis motum hunc adfert? qualenam imperatoris mandatum? qualia edicta in foro publicata explicatáque præfinitum migrandi tempus significant? quinam sunt hi qui hospitio eos excipiūt? vides diuinā constitutionē omnia perficientem, atq; per omnia secula procul peruadentem. Dei legi minime contradicit piscis: & nos qui homines sumus, salutaria ipsius mandata tolerare non possumus? Ne pisces vt prorsus insipientes ac rationis expertes cō tempseris: sed verere, ne dum creatoris præceptis nō obtemperas, his te exhibeas imprudētiorem minúsque rationis participem, nullus inter pisces altera duntaxat parte dentibus armatus est, vt apud nos

bos & ouis: nullus enim de illis ruminat, præterquàm scarus, quem id agere consueuisse nõnulli scriptores literis prodidere: verùm vtraque illis maxilla acutissimis dentium cuspidibus ita crebris munita est, vt ne si diutius quidem mandant, cibus effluat. Accideret enim, nisi citò mansus in aluum ingereretur, vt dum in tenuia frusta illũ dissecare vellent, aqua fluenti dissiparetur ac euanesceret.

Audi igitur eos, per ea quæ faciunt, quodammodo vocem hanc emittentes: Ad generis nostri perpetuitatem in longam hanc peregrinationem mittimur. Nullam habent sibi propriam ac peculiarẽ loquendi rationem: at naturæ lege, quæ in illis penitus insidet, quæque quid agendũ præscribit, vtũtur.

Eamus, inquiũt, ad aquilonium mare. dulcior etenim ibi est aqua quàm in cæteris æquoris partibus, propterea quòd breuem illic sole faciente moram, non potest omnem ille suis radijs aquam potabilem attrahere. Nam etiam quæ mare inhabitant animalia, dulcibus gaudent: quo fit vt sursum in fluuios enatent, longéque à mari ferantur. Illis itaque hac ratione Pontus optatior est atque præstantior, quòd & ad pariendum, & ad educandam prolem sit maximè idoneus. Vbi autem instituti itineris occasioni abundè satisfactum fuerit, rursus confertim vniuersi domum reuertuntur. Quænam etiam eius rei sit ratio, ab ipsis mutis audiamus. Septentrionale, inquiunt, pelagus superficiarium est ac vadosum, & rapidis ventorum flatibus supinum patet, pau-

cas depressásque oras, subterraneósque meatus non frequentes habet: quo fit vt ab imo etiam illud venti facilè succutiant atq; inuertant, adeò vt quæ in fundo sidit, arenam fluctibus permisceant, Quinetiam hyeme frigida est ea regio, quòd multis ídque maximis fluminibus impleatur. propterea, vbi quantum satis est æstate, eo fruiti sunt mari, hyeme rursus ad eum qui in profundiore est pelago teporem, ad locáque solibus patentia pergunt, necnon turbulẽtam ventorum septentrionalium agitationem vitantes, quietioribus se finibus applicant. Ipsis ego hæc oculis conspexi, summíque dei sapiẽtiam omnem aliam superantem, admiratus sum.

Si ratione carentia animalia de sua ipsorum salute cogitant, nouítq; piscis quid sibi eligẽdum, quídue figiendum sit: nos qui rationis vsu decorati sumus, lege instructi, promißionibus admoniti & illecti, in spiritu edocti, ita nostra insipientius administrãtes quàm ipsi pisces, quid dicemus? Illi siquidem norunt quandam futurorum rationem habere, eáque curare: nos verò eius quod futurum est, nullam spem habentes, pecudum voluptatibus nostram exhaurimus vitam.

Si verò nobiscum æstimare ac perpendere velimus, quanta brutis animantibus inest suæ ipsorum vitæ nõ aliũde docta quàm ab ipsa natura, solicitudo, nonne ad nostri custodiam incitabimur, animarúmque saluti prouidebimus, cum à brutorũ etiam imitatione longè abesse inuenti fuerimus? Altis sæ-

penumero vulneribus vrsa confossa, omnibus sibi medetur artibus, verbasco illo naturalem desiccandi vim habente, suas plagas imbuens. vulpem quoque seipsam sanare pini lachrimula videre posis. Testudo verò viperæ satiata carnibus, per contrariam origani vim à venenati animalis noxa se defendit. Serpens quoque depasto marathro oculorum morbum profligat.

Conclusi etiam hyeme longo temporis interuallo boues, vere tandem ineunte, à præsepibus ad ostia oculos conuertunt, mutato omnibus habitu minimo momento.

Oues verò instante hyeme voraciùs cibum ingerunt, aduersus futuram famem abundantiori cibo sese onerantes. Quid verò hominibus nobis ex his ostenditur? Esse nimirum brutis quendam futurorum sensum, vt etiam nos huius vitæ desiderio minime intabescentes, omnem in comparandis futuri seculi bonis, operam studiúmque ponamus.

Inter infinitas oues stabulis exiliens agnus vnde matris suæ vocem agnoscit, atque ad eam properat, sibíque proprios lactis fontes disquirit? Quòd si in minus fœcundas matris mãmas inciderit, præteritis aliarum lacte onustis vberibus, illis cõtentus est: mater quoque inter innumeros agnos, suum agnoscit. vox vna, color idem, persimilis omnibus odor, quantum nostro conijcere possumus olfactu. veruntamen quidam illis est sensus, acutior nostra cõprehensione, per quem vnicuique licet agnoscere quod suum est.

Nulli adhuc catulo dentes, attamen offendentem se ore vlciscitur. nondũ cornua habet vitulus, & qua parte illi nascentur arma, optime nouit: propterea quòd qui hæc omnia fabricatus est deus, hãc in illis rationis penuriam, sensuum acumine compensauit.

Neque rerum omnium conditorem accuset quispiam, quòd venenata animalia, mortifera, vitæque nostræ inimica inuexerit: vel eadem ratione possit quis ludimagistrum criminari, quòd faciles iuuentutis mores ad rectum ordinem deducat, verberibúsque ac flagris eorum intemperantiam corrigat. In dominum credidisti? habes ex fide potestatem serpentes ac scorpiones calcandi. Nonne vides, vt sarmenta colligenti Paulo arrepta vipera nihil attulerit incommodi, quoniam plenum fide virum sanctũ inuenerit? si verò incredulus es, venenatas bestias non reformida magis, quàm tuam ipsius incredulitatem, qua quidem teipsum omni morti generi obnoxium effecisti.

Ex com. in Esaiã. *Nam quæcunque patimur mala, diuina hæc ordinatione patimur. Neque enim nos peruersis potestatibus cruciandos omnino permittit, sed punitionum modum definit ille, habita eorum, quibus vult mederi, virium ratione.*

Ex Ethicis. *Quicquid etiam boni diuina vi nobis obuenit, gratiæ vniuersa perficientis actionem esse dicimus. Omnibus enim rebus prouidet deus, omniúmque curam gerit: omnia vigil semper oculus speculatur: omnibus adest, salutem vnicuique spargens. Sepe-*

numero

numero igitur in tenuissimis etiam eius relucet sapientia atque prouidentia. Qui enim cælum expandit, atque ingentes marium abyssos effudit, is ipse est qui tenuissimum apiculæ stimulũ fistulæ instar excauauit, ita vt per eum venenum emittat. Nos igitur dicere cum propheta opportunum atque consen-
" *taneum est, Quam magnificata sunt opera tua domi-* Psal. 103.
" *ne: omnia in sapientia fecisti. Illi conuenit gloria, & honor, & magnificentia, patri, & filio, & spiritui sancto, nunc, & semper, & in secula seculorum. Amen.*

DE ANIMA, *Concio* XXIII.

OMNEM *operam studiúmque in eo insumere, vt quàm optimè corpus valeat, hominis est sese prorsus non agnoscentis, maximéque eius ignari præcepti, quo id quod videtur, hominem non esse, admonemur: sed præstantiore quadam sapientia opus est, qua seipsum quisque quidnam sit, nosse valeat. Id verò ijs qui minime repurgata mẽte sunt, difficilius est quàm in solem inspicere lippienti.* Ex conc. quæ vtil. ex prosa. libr. capi possit.

Neque enim fieri potest vt quis in cereis tabulis scribat, nisi prius eos qui illis insunt characteres in- Ex Epist.

duxerit, atque animo diuina præcepta accommodet: nisi quæ à praua consuetudine vitia contraxit, ab ipsa extirparit. Nam *si bona cogitatione vacuus est animus, vacare etiam lumine illum necesse est, nō quia desit quod illuminet, sed quia dormitet & torpescat illud quod illuminari debeat.*

Ex adhortatione ad bapt.

Neque enim corpus, si non respirat, viuere potest: neque anima creatore suo ignorato, consistere. Dei *enim ignoratio, animæ mors est.*

Ex conc. quæ vtil, ex profa. lib. capi possit.

Nos igitur corpori minime inseruire optima quæ si quātum est maxime necessarium: sed debemus, nisi sunt animæ suppeditare, illam veluti ab eius quam habet cum corpore communionis ergastulo, philosophiæ studio soluentes, simúlque corpus ipsum affligendo, melius efficientes. Nam *qui in eo toti sunt, vt optimè corpus habeat: animam autem quæ ipsius ministerio vti debet, vt nullo habendam in precio, despiciunt, nihil differunt ab his qui in affabrefaciendis instrumentis curiosius versantur, eam autē artē quæ ad opificia sua his vtitur, prorsus negligūt.*

Ex cō. in illud, Attende tibi ipsi.

Ne igitur ad ea quæ sua, quæque circa te sunt, sed ad te solum, animum aduerte. alij enim nosipsi sumus, alia nostra, alia quæ circa nos sunt. Animus *siquidem & mens sumus nos, per quam ad imaginem creatoris facti sumus: nostra verò, corpus, & qui sunt in eo sensus: circa nos verò, diuitiæ, artes, reliquáque huius vitæ apparatus.* Quare *corpori animum ne adhibeas, neque ipsius bonum modis omnibus persequere: sed animā exorna & excole, eiúsq;*

adeò sis solicitus, vt ingeneratas illi ab improbitate sordes omnes, precibus ac oratione repurges.

Neque enim speculum maculis obductum, imaginum species recipere, neque animus vitæ huius curis occupatus, atque prodeuntibus è corporeo sensu affectibus obtenebratus, sancti spiritus lumina suscipere potest. Animi enim bonum natura honestum esse ac pulchrum existimare consentaneum est. Animi autem thesaurus, corporis indigẽtia est. hoc enim ditescente, paupertate laborat ille. Ex Epist.

Et quemadmodum in staterarum momentis, si alteram deprimas lancem, ei respondentem ex aduerso planè leuiorem reddes: sic etiam in corpore & anima, si alterum expleatur, alterum minuatur necesse est. Ex cõ. in illud, Attende tibi ipse.

Nam firmißimè constituto corpore, & carnea mole prægrauato, imbecillam & languidã ad suas actiones mentem esse oportet: vbi autem animus valet, atque aßidua bonarum rerum exercitatione, ad eam quæ sibi peculiaris est, magnitudinem extollitur, exolescat marcidúsque fiat corporis habitus, consequens est.

Atque vt morbum odio habere, nulla nos ratio docet, sed vltro sese nobis offert eius criminatio: sic in animo inest, quam à nullo præceptore didicimus, vitij quædam declinatio. Vitium verò omne, animi ægrotatio atque imbecillitas est: virtus verò, sanitatis instar est. Pulchrè enim sanitatẽ definierũt quidam; constantem firmámque naturalium actionum Ex Hexã hemero.

constitutionem: quod qui de bona animi affectione, rectóque habitu dixerit, non ab eo quod decet aberrauerit.

Nemo siquidem filium suum in foueam lapsurũ aspernatur, aut si ceciderit, in ipsa eum ruina deserit: quanto verò grauius est, animam in profundum vitiorum abyssum delapsam, æterno interitui relinquere?

Oportet itaque animum, affectibus quidem imperare, deo verò seruire. Neque enim illi & peccatum & deus dominari potest, sed improbitatem superare, omniúmq; rerum domino subijci necesse est.

Ex conc. quæ vtil. ex prof. libr. capi poſsit.

Vt autem arboris, peculiaris virtus est, pulchro florere fructu, quendam etiam ferre ornatum, ac folia ramis ipsis circũfixa: sic etiam animi præcipuus quidem fructus, veritas: quem vtique nec ingratum fuerit extranea etiam prudentia circunuestiri, veluti folijs quibusdam, quæ quoddam ipsi fructui tegumentum, nec iniucundum intuentibus aspectum præbeant.

Etenim nullus pictor adeò perfectè corporis effigiem, vt arcanos animi sensus oratio exprimit. Eius igitur curam, quoad fieri poterit, geramus, vt futura bona assequamur, in Christo Iesu domino nostro, cui vnà cũ patre, simul & sancto spiritu, sit gloria, nunc, & semper, & in secula seculorum. Amen.

DE HONORE PARENTIBVS exhibendo, ac de Senectute atq; Iuuentute, Concio XXIIII.

» EXVRGE domine deus meus in præcepto quod mādasti. Hic scripturæ locus potest quidem ad resurrenis mysterium referri, obsecrante propheta, vt excitaretur iudex, qui omne peccatū vlcisceretur, & quæ iam antea nobis præscripta erāt mādata, adimplerētur. Potest verò ad eum etiā qui tum erat rerū statū accommodari, orante propheta, exurgere iudicē ad vindicandū præceptum quod mādarat. Quod quidem illud erat, Honora patrē tuum & matrem tuā, à deo datum: quod præceptum transgressus est eius filius. Quapropter in illius ipsius emendationē, multorúmque castigationem precatur, non diutius pati deum, sed exurgere in ira: cúmque surrexerit, mandatum suum vlcisci. Non enim me, inquit, sed præceptum tuum neglectui habitum, quod ipse mandasti, vindicabis. Manifestum est enim quod castigato vno, multi conuertentur.

Ex cō. in 7. Psalm.
Psalm. 7.
Deuter. 5.

Quanquam illa ciconiarū cura, quam in alendis senecta defectis adhibent, satis sola posßit liberos nostros, si attēdere velint, erga parentes pios efficere. Neminem enim prorsus existimo adeo dementē, qui

non turpi infamia dignum iudicet, à ratione carentibus auibus, virtute superari. Illæ siquidē patrem præ senectute volandi impotentem, orbiculatim circunstantes, suis alis circunfouent, atque alimenta abundè suppeditantes, quod possunt in volando, auxilium ferunt, illum vtrinque alis sensim subleuantes. Atq; id apud omnes ita percrebruit, vt iam nōnulli mutuā officiorū vicem ἀντιπελαργῶσιν nominēt.

Ex cō. in Esaiam. *Si vis igitur futurorum persuasionem tibi induere, mandata legis obserua, atque ita bonis te fruiturum æternis expecta.*
Exo. 20 " Honora patrem tuum & matrem tuam, vt tibi bene sit, & eris longæuus super terram, quam dominus deus tuus tibi largitur.*

Ex Epist. *Grati enim & pij liberi, parentum gloriam reddunt illustriorem.*

Ex cō. in Esaiā. " *Filij diligite parentes: parentes liberos ad iracundiam ne prouocetis, diuinus monet Apostolus.*
Ephes. 6. *Nā si leæna suos diligit, lupus quoq; pro catulis suis decertat, quam excusationē adferet homo, & legē negligēter audiens, & ipsam adulterans naturā, dum patris senectutem filius despicit, aut per secundas nuptias pater priorum liberorum obliuiscitur?*

Impijssima iniquissimáque est in enutriendis suis pullis aquila: binos enim pariens, alterum verberibus alarum protrudens, in terram deturbat: assumptum verò alterum sibi duntaxat adiungit, nutriendi tædio, eum quem genuit à se abigens. At eum interire ossifraga non sinit. hunc enim illa suscipiens, vnà cū suis pullis enutrit. Tales sunt qui liberos suos

paupertatis prætextu exponunt, aut in hæreditatis diuisione ipsis iniquißimi sunt partitores. vt enim ex æquo illis vitã tribuère, sic quæ ad eam necessaria sunt subsidia, æqualiter neq; dißimili conditione illis suppeditare iustum est. Ne aduncis vnguibus auiũ inhumanitatẽ imiteris, quæ, vbi pullos suos viderint audere deinceps volatui se cõmittere, percutientes alis atque expellentes, nido eijciũt, nihilque posthac illis curæ adhibent. Amoris verò cornicis erga suos pullos æmulũ te præsta, quæ quidem volantes iam pascens ac enutriens diutißime comitatur.

Is enim qui mente infans & imprudens est, ab eo nihil differt, qui ætate est infans, nempe canities in hominibus est prudẽtia. Nã re vera ad senioris cõstitutionẽ designationẽq; plus momẽti habet id quod in prudentia senile est, q̃ in capillis albor. Si enim secundum sapientem Danielẽ, fuerit quispiã corpore quidẽ iuuenis, præstanti verò iudicio canus, plus laudis meretur, q̃ qui corpoream canitiem in intemperanti vitæ instituto præ se ferunt. Puer enim paruus cum esset adhuc Daniel, & iunior ætate q̃ præferebat, in prudenti tamen consilio mentis canitiem mõstraret, nota senilis dignitatis atque honore insignitus est. Sic nonnunquã accidit, senioribus vitam ignauiter desidioseq; ducentibus, iuniores ac si propter canescẽtem in ipsorum animis virtutem seniores essent, præstantiores inueniri. Summum autem supplicium est ab insipiente iuuentute gubernari ciuitatem. Leuis enim res est iuuẽtus, atque ad ea quæ

mala sunt procliuis. Effrænatæ libidines, iracundiæ ferinæ, petulantiæ, flagitiáque, insolentiæ, superbíq; animi, sodalia sunt iuuentuti vitia. In eminentiores inuidiæ, de familiaribus suspiciones, innumera malorum multitudo cum iuuentute coniuncta est. Quæ omnia perpeti subditos necesse est: quoniam principum scelera, in subditorũ calamitates redundant. Hinc illa ante postremam Hierosolymorum euersionem fluxere mala, quando inter sese confligentes, totam seditione ac cædibus ciuitatem impleuere, neque ab obsidentibus se hostibus, necessariam ciues concordiam inire compulsi, sed vita periclitantes, capta iam vrbe deiectis & dirutis mœnibus, hostibus tota vrbe effusis, præ imperandi primatúmque obtinendi libidine, mutuo sese oppresserunt. Atque ista omnia passi sunt, quòd prophetam, & coniectorem, & seniorem, admirandúmque consiliariũ à se amouissent: sibi verò qui imperarent ac dominarẽtur, adolescentes, illusoré sq; præfecissent.

Vt igitur nobis eadem quæ ipsis non accidant, demus operã, ne nos inuicem opprimamus, mutuúmque inter nos honorem pacémque prosequamur, vt & vita integerrimè ac sine periculo traducta, futura bona cõsequamur, in Christo Iesu domino nostro, cui gloria, & potestas, in secula seculorum. Amen.

FINIS.

ANIMADVERTENDA QVAEdam in D. Basilij de Vita & moribus, quæ quãquam in pluribus emendata sunt, nequis tamen erroribus his pauculis hallucinaretur, huc adiecta sunt.

In Epistola, pag. 3. vers. qui incipit, sariã, lege. sariæ 5. δὴ, vt & qui In Concionibus, 4. tum, & ad mortem 29. ne meritos existimẽ: 44. ges, efficiantur. etiam, madefactũ iri sentit. 46. ansa enim ad vitium ista erit largitio. 47. præcipimur 50. munem cum illo suæ 62. cat se ad ea quæ in ripis sunt, quæ simul 77. bus cõsiti totidem, montes, 124. demittebat, inualescebat 130. chóve facilius est? 151. parent. enutritus, 167. casum, nonne hinc 170. calcare velles. Perturbatis 176. ce, indagato. 178 pacissimæ maximéque 180. Quoniam verò virtuti con. 187. cta, pauper. 188. illa Dauidis visio, apertè iudi. 200. piam? eũdem vitæ finem propositum 213. tumeliæ intorquerentur. 217. qui imperatoris effigiẽ 228. cõm. vanæ 232. & peru. abrepta 234. Ridésne, quæso te, 246. pressos, dolore afficiũtur. 247. Ne, indagato 252. que rationis participem. Nullus 254. fugiendum sit: 258. Nos igitur corpori minimè inseruire debemus, nisi quantum est maximè necessarium: sed optima quæ sunt